
PRO SCIENTIA
POPULIQUE
SALUTE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Special Book Fund 1899
Septemb 1897
R. W. Gibson Invt


EARL. OF. AYLESFORD.
PACKINGTON. WARWICKS.

NEW YORK
BOTANICAL GARDEN.

# COLLECTANEORUM

# SUPPLEMENTUM

[illegible]

[illegible]

# NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

# COLLECTANEORUM

# SUPPLEMENTUM.

CUM FIGURIS COLORATIS.

*VINDOBONAE,*
Ex Officina Wappleriana. 1796.

.J19
Suppl.



NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

# OBSERVATIONES BOTANICAE,

Continuatæ poſt Coll. Vol. 4. pag. 219.

## DXIX.

### LOPEZIA MEXICANA.

Sub hoc nomine accepi ſemina ſingulariſſimæ hujus & elegantis plantæ, cui Mexico patria eſt. Apud nos in caldario floret ab Octobri ad Januarium, ſeminaque maturat. Odor plantæ tritæ cucumeraceus eſt. Radix ramoſa, annua. Caulis ramique angulati ſunt, & ad lentem tantisper villoſuli; etiam glabri. Caulis a quatuor ad ſex pedes altus, ramoſiſſimus, debilis, forte ſcandens in loco natali, adultior fuſceſcens, digitum craſſus. Ramuli virent. Folia ſunt pleraque alterna, etiam in ramulis inferiora oppoſita, ovato-lanceolata, acuminata, ſerrulata, venis transverſis pluribus percurſa, glabriuſcula, ad oras per lentem rariter ciliata, breviter petiolata, longiora triuncialia, ſuperiora in ramulis florentibus ſucceſſive minora, ſumma tandem brac-

teolis minutis ſimilia. Pedunculi axillares, ſolitarii, filiformes, dimidiam unciam vel & integram longi, patentiſſimi, uniflori, ad lentem villoſuli, purpuraſcentes, omnino numeroſiſſimi, in fructu penduli. Calycis foliola utrinque ſordide rubra; calloſa apice virent; tria ſuperiora ſæpe ad apicis dorſum pilis paucis hirta. Vexillum & alæ ruſtent. Vexilli glandulæ pallide virent. Carina albet. Filamentum & bylus albent cum baſi purpuraſcente. Anthera ex rubro ſordet. Germen viret. Stigma albet. Capſula fuſceſcit.

CAL. Perianthium tetraphyllum, ſuperum, coloratum, deciduum; foliolis oblongis, obtuſulis, concavis, patentiſſimis, tribus ſurſum verſis inferiori quarto oppoſitis, duobus lateralibus plerumque apice calloſo fornicatis.

COR. pſeudopapilionacea, calyce paulo longior.

Vexilli diphylli foliola lineari-oblonga, obtuſa, plana, integerrima, ex ungue erecto ad angulum rectum reflexo-patentiſſima; ungue tereti, ſuperne glandula nitida convexaque terminato, inferne paucis pilis hiſpido.

Alæ duæ, ſpathulatæ, rotundatæ, planæ, oppoſitæ, patentiſſimæ una cum ungue longo; quibus ad baſin adſidet verrucula villoſa.

Carinæ vexillo oppoſitæ & patentiſſimæ unguis longus, tantiſper concavus; lamina ſubrotunda, modo emarginata, modo integerrima, connivens.

STAM. Filamentum unicum, ſubulatum, longitudine calycis; primo expanſi floris die una cum ſtylo ex carina, per unguem ſuum nunc arcuatum breviore, elaſtice exſiliens, quod phænomenon vel tactu leviſ-

leviſſimo carinæ promovetur; dein paulatim inter ungues vexilli tranſiens, ad dorſum corollæ reflectitur. Anthera didyma, erecta.

PIST. Germen inferum, globoſum. Stylus filiformis, inter filamentum & carinam ſitus, erectiusculus, primo alteroque die breviſſimus, dein celeriter increſcens fere ad filamenti altitudinem. Stigma capitatum, tandem magis magisque villoſum.

PER. Capſula globoſa, quadrilocularis, apice quadrivalvis.

SEM. numeroſa, minuta.

## DXX.

LOPEZIA HIRSUTA. *Tab.* 15. *fig.* 4.

Cum præcedente ſic convenit habitu, ſtatura & charactere, ut pro eadem haberi poſſet, niſi diſtinguerent caulis ramique perpetuo ſine omni angulo teretes & longe valdeque hirſuti, folia villoſiora, & corollæ carina petalis reliquis concolor.

## DXXI.

JUSTICIA PERIPLOCAEFOLIA *Tab.* 7. *fig.* 2.

Creſcit ad Caracas in America torrida. In caldario apud nos floret totam æſtatem. Tota glabra eſt. Caulis ſesquipedalis, erectus. Rami teretes, ſtriati, ad nodos incraſſati & purpuraſcentes. Folia oppoſita, breviter petiolata, ex baſi ovata in cuspidem paulatim anguſta-

A 3 ta,

ta, integerrima, ſubundulata, venoſula, duas treſve uncias longa. Bracteæ lanceolato-lineares, acutæ, ſemunciales. Flores ſubſeſſiles, axillares, ſolitarii, inodori. Folia ſumma bracteis ſimilia, ſed duplo longiora; quibus ſit, ut ſpica credatur terminalis, brevis & interrupta. Calycis foliola quinque, ſublinearia, acuta, per lentem ad oras ciliatula, æqualia, erecta. Corollæ purpureæ & ringentis tubus compreſſus, plicato-rugoſus, calyce duplo longior. Limbi labium ſuperius oblongum, erectum, apice reflexo & bifido; inferius ſemitrilobum, ſubrotundum, patentiſſimum. Antheræ geminæ, oblongæ, virides, obtuſæ; altera paulo altiore. Capſula cuneiformis, compreſſa, calyce ad unam tertiam longior, obtuſa cum parvo acumine. Periit in horti caldario, a feneſtris turbine diffractis proſtrata, primo ætatis anno, dum fructus needum erant maturi; unde ignoro, annuane ſit, an perennis.

## DXXII.

PIPER ADUNCUM. *Linn. ſyſt. pag.* 74.

Piper fruteſcens diffuſum flexile; foliis ovatis, venis plurimis oblique arcuatis refertis. *Brown jam. pag.* 122.

Piper longum, folio nervoſo pallide viridi, humilius. *Sloan. hiſt. jam. pag.* 135. *tab.* 87. *fig.* 2.

Saururus arboreſcens, fructu adunco. *Plum. pl. amer. pag.* 58. *tab.* 77.

Sponte creſcit in inſulis Domingo, Jamaica, Barbados; & ad Caracas in Continente. In caldariis noſtris lætiſſime vegetat, florens a Julio ad Decembrim. Caules ex eadem radice plures, fruticoſi, tere-

tes,

tes, ad genicula nodoſe incraſſati, glabri, pollicem & ultra craſſi, ramoſi, cinerei erecti, octopedales. Ramuli virides, calamum craſſi, patentiſſimi. Folia alterna, breviter petiolata, diſticha, ovato-lanceolata, acuminata, baſi interiore paulo breviora; ſupra ſaturate virentia, retrorſum ſcabra, ad lentem hirta; ſubtus pallide virentia, ad lentem villoſula, nec ſcabra; integerrima, venis numeroſis reticulata; hoc ſenſu multinervoſa, ſi venæ principes, ex nervo medio utrinque alterno ſitu ortæ, adſcendentes & in dorſo protuberantes, pro nervis habeantur; plus minus ſemipedalia, pauci ſaporis & odoris. Stipula ad folia primum prodeuntia lanceolata, acuta, connivens, glabra, ſtriata, caduca. Pedunculi alterni, oppoſitifolii, ſolitarii, erecti, teretes, ad lentem villoſuli, ſemunciales. Spadix cylindricus, ſolitarius, gracilis, flaveſcens, duas tresve uncias longus, verſus ramuli originem arcuatus ſive aduncus, totus denſiſſime fructificationibus minutis ſic inordinate tectus, ut nec microſcopio adjutus potuerim illarum ſtructuram rite dignoſcere. Antheræ geminæ didymæ, ſulphureæ. Protuberantiæ ſparſæ ſpadicis an germina? In harum margine ſummo denticuli minutiſſimi an ſtigmata?

## DXXIII.

### PIPER TUBERCULATUM.

Creſcit ad Caracas. In caldario floret Septembri & Octobri. Caules plures, teretes, digitum craſſi, erecti, ad nodos incraſſati, cinerei, octopedales, tuberculis toti exaſperati; cujusmodi tubercula etiam obſident ramos pedunculosque. Rami teretes, patentiſſimi, villoſuli.

loſuli. Folia ſunt alterna, fere diſticha, plana, ovata, acuta, integerrima, venoſa, coriacea, glabra cum nervo medio dorſali venisque principibus villoſulis, nervo medio in facie ſæpius rubente, pagina interiore ad baſin multo breviore, petiolo in mucronem rigidulum ſubulatum & innocuum ultra paginam producto, longiora quinqueuncialia cum petiolo villoſo purpuraſcente & unam tertiam unciæ partem longo. Spica oppoſitifolia, ſolitaria, erecta, pennam columbinam craſſa, tres quatuorve uncias longa, odore dianthi caryophylli prædita, pallide flaveſcens, pedicello inſidens brevi craſſo villoſo & rubenti. Filamenta duo, teretia, breviſſima, apice globoſe incraſſata, decidua, mutuo ſuccedentia. Antheræ in quolibet filamenti capite geminæ, oblongæ, ſulcatæ, flavæ, incumbentes. Germen ſubrotundum, in floreſcente ſpica vix obſervabile, in eadem fructeſcente poſt ſtaminum lapſum in conſpectum maxime veniens & viride. Stigmata duo, ſeſſilia, fuſca. Infra germina locantur pulvilli albi ſubrotundi & villoſi.

## DXXIV.

IRIS PAVONIA. *Linn. ſyſt. pag.* 92. *Thunb. diſſ. pag.* 21. *num.* 35. *tab.* 1.

Elegantiſſima planta creſcit ad Promontorium bonæ Spei, apud nos florens Januario & Februario. Bulbus parvulus, ovatus, bulbo effœto impoſitus. Folium radicale unicum, longe vaginans, lineari-enſiforme, acutum, dorſo ſtriatulum, ſubtus & ad oras villoſum, nervo medio utrinque protuberante, firmulum, erectiuſculum, longitudine caulis. Folia in caule ad nodos alterna, duo vel tria, longe vaginantia, ſupra vaginas brevia, acuta, parumper villoſula. Caulis flexuo-

ſus,

ſus, teres, erectiuſculus, villoſus, ſimplex, apice floriger, pedalis. Flores ſæpe duo mutuo ſuccedunt, ſpecioſi. Pedunculi uniflori, glabri, teretes, graciles, erecti. Spatha diphylla, glabra, erecta, biuncialis; valvulis acuminatis, convolutis, mutuo amplexantibus. Petala ſex, ad baſin uſque in individuis noſtris diſtinctiſſima, nec vel minimum connata, nitidiſſima, fulvo-miniata, ſupra unguem inſignita macula cærulea, infra hanc denſe adſperſa punctis nigris, quæ macula punctaque ad dorſum obſcure transparent. Tria exteriora ampla, obtuſiſſima, ex ungue anguſto in laminam rotundatam expanſa, patentiſſima. Tria interiora lanceolata, acuta, erecta, duplo breviora multoque anguſtiora. Nectarii foliola, a Thunbergio deſcripta, in noſtris plantis omnino deficiunt. Filamenta tria, erecta, in cylindrum connata ſemitrifidum acuminatumque. Antheræ lineares, longitudine petalorum interiorum, erectæ, aurantiacæ cum ſulco utrinque fuſco, polline aurantiaco. Germen inferum, longum, teres, triſulcatum, glabrum. Stylus albus, brevis, erectus. Stigmata tria, linearia, obtuſa, bifida, antheris appreſſa, alba. Fructum non tulit.

## DXXV.

### IXIA FRAGRANS.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Januario & Februario; fructeſcit Aprili. Tota glabra. Bulbus puſillus, tunica fuſceſcente veſtitus, alteri impoſitus. Folia plura, ſcapo longiora, graminea, acuta, anguſta, ad lentem utrinque ſtriato-nervoſula, integerrima, interiora ſcapum fere totum vaginantia & erectiuſcula, inferiora reflexa, longiora pedalia. Scapus compreſſulus, erectus, ſemipedalis.

Flores ſuaveolentiſſimi, plerumque gemini, alter ſeſſilis, alter ob elongatum ſcapi apicem veluti pedunculatus. Spatha ſcarioſa & albida cum ſtriis purpureis. Corolla tota lutea ſine maculis. Antheræ luteæ. Fructus cinereus. Semina nitidiſſima, pallide fuſceſcentia.

CAL. Spatha bivalvis; valvulis latis, dentato-ariſtatis.

COR. monopetala. Tubus cylindricus, longitudine ſpathæ. Limbi ſexfidi laciniæ oblongæ, obtuſæ, patentiſſimæ, ſubæquales, tubo triplo longiores.

STAM. Filamenta tria, filiformia, brevia, erecta, libera. Antheræ oblongæ, erecto-patulæ, magnæ.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, erectus. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, reflexæ, ſtaminibus longiores, apice lateſcentes.

PER. Capſula-ſubrotundo-ovata, obtuſa, ad ſemina toruloſa, trilocularis, trivalvis.

SEM. in quolibet loculamento plerumque tria, ſubrotunda.

## DXXVI.

## IXIA ANEMONAEFLORA.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Aprili; tota glabra. Bulbus ſubrotundus, tunica ſtriata fuſca tectus, fere avellanæ magnitudine, alteri impoſitus. Folia radicalia plura, lineari-enſiformia, acuta, integerrima, ſtriatula, erecta, diſticha, ſuperne obliqua, nervo medio utrinque prominente, altero margine vaginantia, plus minus decem uncias longa. Scapus teres, gracilis, nitidus, viridis,

dis, circa medium inflexus, longitudine foliorum, uniflorus. Spatha bivalvis, brevis, ſcarioſa; valvula altera bidentata, altera tridentata. Corollæ cum leviſſima ſuffuſa flavedine uniformiter albæ tubus erectus nec ſpatham ſuperans; limbus ſexfidus, in ſtellam patentiſſimus, diametri ad minus biuncialis; laciniis obverſe ovatis, parumper concavis, obtuſiſſimis, ſubæqualibus. Filamenta tria, ſubulata, erecta, breviſſima, alba. Antheræ lineares, longæ, erectæ, flavæ. Germen inferum, viride. Stylus filiformis, erectus, antheris longior, albus. Stigmatis trifidi laciniæ apice lateſcentes, reflexæ.

## DXXVII.

### IXIA LEUCANTHA.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Junio. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, utrinque depreſſus, magnitudine avellanæ, tunica fuſca ſtriataque tectus, alteri impoſitus. Folia lineari-enſiformia, acuta, integerrima, ſubtiliſſime ſtriata, nervo medio utrinque protuberante, altero margine inferiore vaginantia, erecta, firma, bis terve obliqua, longitudine ſcapi vel eodem haud multo breviora. Scapus teres, penna columbina gracilior, ſtricte erectus, pedalis vel ſesquipedalis, duplici ramo auctus, inferiore plerumque abortante. Flores ſpicati, ſecundi, inodori, expanſi nutantes, a quatuor ad ſeptem. Spatha bivalvis, albida cum paucis ſtriis viridibus, late ovata, altera triariſtata, biariſtata altera. Corollæ tubus gracilis, incurvus, e viridi pallens, ſpatha paulo longior. Limbi ſexfidi & ſine ulla macula albidi cum ſola baſi foris leviter ex flavo viriduli laciniæ ovales, obtuſæ, patentiſſimæ; tribus alternis paulo anguſtioribus. Filamenta

 tria,

tria, brevia, alba. Antheræ lineares, erectæ, ochroleucæ. Germen oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, albus. Stigmatis trifidi laciniæ albæ, apice lateſcentes & villoſæ.

## DXXVIII.

### IXIA PUNICEA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Novembri, Decembri & Januario. Bulbus ſubrotundus, piſo duplo major, alteri impoſitus, tunicæ fibroſæ fuſcæ incluſus. Folia plura, alterna, diſticha, enſiformia, nervoſa, plicata, utrinque & ad oras villoſa, mollia, altero latere fiſſo amplexicaulia, hinc in vaginam longiſſimam glabramque deſcendentia, erecta. Scapus ſæpe polyſtachyus, teretiuſculus; inferne erectus, vaginatus & ſemipedalis; ſuperne villoſus, mollis, paiumper declinatus, longitudine foliorum. Flores ſpicati, alterni, ſecundi, erecti, plus minus quini, inodori, ſucceſſive florentes, ſpecioſi. Spatha trivalvis, villoſa, mollis, erecta viridis; valvula exterior maxima, lanceolato-acuminata, connivens, fere ſeſcuncialis; laterales duæ lineares, anguſtæ, breviores. Corolla tota ſaturatiſſime punicea, ſeſcunciam longa. Tubus filiformis, erectus. Limbus campanulatus; laciniis lanceolatis, obtuſulis, ſubæqualibus, patentiſſimis, tribus alternis mucrone innocuo terminatis. Filamenta tria, rubra, erecta, brevia. Antheræ oblongæ, erectæ, violaceo-purpureæ, petalo dimidio breviores. Germen hirſutiſſimum. Stigma trifidum, hirſutum, patentiſſimum, ſordide violaceum, ſtaminibus brevius. Datur hujus varietas floribus magis rubris & minoribus.

## DXXIX.

### IXIA INCARNATA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Martio. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, tunicæ reticulatæ fuſcæ incluſus. Folia alterna, enſiformia, acutula, ſubtiliſſima ſtriatula, ob oras revolutas margine incraſſatula, erecta, firmula, altero margine longe vaginantia, nervo medio utrinque protuberante, ſine vaginis plus minus ſemipedalia. Scapus teres, gracilis, ſtrictus, foliis longior, ſimplex, fere ſesquipedalis. Spica terminalis, erecta, laxula. Flores plus minus quini, inodori, ſecundi, erectiusculi, unciales. Spatha bivalvis, erecta, membranacea, pallida cum ſtria a quolibet dente purpurea; valvula altera tridentata, altera bidentata. Corollæ tubus ex cylindrico ſuperne infundibuliformis, incurvatus, albidus. Limbi ſexfidi & uniformiter pallide roſei laciniæ oblongæ, apice rotundatæ, planæ, ſubæquales, patentiſſimæ, longitudine tubi. Filamenta tria, ſubulata, erecta, ſuperne ſubrubentia, limbo corollæ duplo breviora, diſtincta. Antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. Germen oblongum. Stigmatis trifidi & albi laciniæ filiformes, apice tantisper lateſcentes, reflexæ, longitudine antherarum.

## DXXX.

### IXIA LANCEA. *Linn. ſyſt. pag.* 85. *Thunb. diſſ. num.* 21. *pag.* 5.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens Januario & Februario. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, alteri impoſitus, tunicæ reticulatæ denſe & fuſcæ inclu-

ſus. Folia tria vel quatuor, alterna, acuta, ſtriata, nervo medio utrinque protuberante, erecta, ob margines revolutos ad oras incraſſata; duo inferiora lanceolato-enſiformia, margine interiore vaginantia, ſemipedalia & ultra; ſumma ſpathacea & longe vaginantia. Marginum illa revolutio in planta vegeta ad tactum optime percipitur, vix viſu; in exſiccata autem nervus medius & oræ albeſcunt, oris tunc ſic ob revolutionem incraſſatis, ac ſi nervi adeſſent marginales. Scapus ſimplex, teres, foliis paulo longior, erectus; ad flores flexuoſus & filiformis. Flores a tribus ad ſex, racemoſi, pedicellis brevibus & erectiuſculis ſuffulti, ſubſecundi, valde ſuaveolentes & quidpiam vanillæ ſpirantes. Spatha bivalvis, ſcarioſa, hyalina, nitidiſſime albida, laxula, erectiuſcula, corolla duplo brevior; valvulis baſi mutuo amplexantibus, latis, truncatis, exteriore tridentata tribusque ſtriis purpureis notata, interiore bidentata & biſtriata; quas inter ſtrias nonnunquam aliæ ad baſin ſtriæ ſimiles breviores conſpiciuntur. Corollæ tubus infundibuliformis, ſexſulcatus, viridis, brevis. Limbus ſexpartitus, patens, tubo fere duplo longior, utrinque pallidiſſime cæruleſcens; laciniis oblongis, obtuſis, ſubæqualibus. Filamenta tria, ſubulata, ex fundo tubi corollæ orta, alba. Antheræ oblongæ, erectæ, luteæ, corolla paulo breviores. Germen ſubovatum, vireſcens cum ſex lineis ſaturatioribus. Stylus filiformis, fere longitudine ſtaminum. Stigmatis trifidi & albi laciniæ filiformes, apice lateſcentes, patentiſſimæ.

## DXXXI.

### IXIA RADIATA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Decembri, Januario & Februario. Tota glabra. Bulbus fuſcus, late conicus, baſi planus inque marginem ampliatus orbicularem dentatum ſive radiatum & uncialis diametri, ipſe avellana minor. Caulis teres, flexuoſus, debilis, erectiuſculus, geniculatus, fere ſesquipedalis, pennam columbinam craſſus, ſimplex. Folia caulina plus minus quatuor, alterna, linearia, acuta, integerrima, baſi vaginantia, erectiuscula, caule multo breviora. Flores plus minus ſeptem, ſpicati, diſtantes, ſecundi, inodori. Spatha bivalvis; valvula exteriore oblonga, acuminata, ſtriata, convoluta, vireſcente, erecta; interiore anguſta, breviore, bidentata & hyalina. Corollæ tubus filiformis, pallidus, longitudine ſpathæ, erectiuſculus. Limbus nutans, ſexfidus, tubo paulo longior; laciniis lanceolatis, acutulis, ſordide albentibus, obſcure ſtriatulis, patentiſſimis; tribus exterioribus ſordide rubentibus pauloque latioribus & longioribus. Filamenta tria, filiformia, erecta, limbo corollæ duplo breviora, cujus fauci inſerta. Antheræ lineares, longæ, erectæ, luteæ. Germen oblongum, triquetrum. Stylus capillaris, ad medietatem diviſus in ſtigmata tria vel quatuor, capillaria, obtuſula, longitudine antherarum.

## DXXXII.

### IXIA CRUCIATA

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Novembri & Decembri; tota glabra. Bulbus inverſe ovatus, avellanæ magnitudine, tunica nigra duriore & ad baſin multifiſſa tectus. Folia plerumque longiora duo cum brevioribus paucis, circumſcriptione ſubteretia, utrinque acuminata, erecta, ſtricta, profunde quadriſulcata vel potius quadricanaliculata, ſtriatula, viridia, ſcaporum plus minus longitudine, unaque cum his baſi aliis foliis planis & vaginantibus comprehenſa. Simile aliud folium in ullo vegetabili nedum vidi, cujus ſi quis ſibi fingere figuram velit, ſumat quatuor folia quam maxime canaliculata, quæ ſic cruciatim ponat, ut dorſo ſeſe ſpectent. Tunc per lineam ductam oras quorumlibet duorum vicinorum foliorum connectat, & repleat totum ſpatium inter haſce quatuor lineas & dorſa omnium foliorum ſubſtantia carnoſa, & habebit figuram deſiderati folii, cujus transverſa ſectio crucem repræſentat. Scapi duo vel tres, quadriunciales, hinc plani, inde convexuli, uniflori, erecti, pallidiſſime virentes. Spatha bivalvis, erecta, ſemuncialis, viridis; valvulis late lanceolatis, acutis, ſtriatis, concavis, oppoſitis, æqualibus, baſi mutuo & germen ſtricte amplexantibus. Petala ſex, elongate lanceolata, acuta, rarius apice quædam inciſa, ſupera; unguibus erectis, flavis & longitudine ſpathæ; laciniis in ſtellam patentiſſimis, intus rubris baſique ex flavo & cæruleo ſtriatulis; tribus interioribus foris cæruleis cum ſtriis ſaturatioribus; tribus exterioribus foris flavis cum ſtriis violaceis. Filamenta tria, ſubulata, erecta, breviſſima. Antheræ oblongæ, erectæ, luteæ, longitudine unguium petalorum. Germen inſerum, oblongum, triquetrum.

trum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigmata tria, filiformia, bifida, patentia. Fructum non tulit.

## DXXXIII.

## GLADIOLI MERIANI VARIETAS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Junio & Julio. Radice, foliis, glabritie, ſcapo habituque congruit cum Gladiolo Meriano, floribus diverſa quidem planta, ſed non tantopere, ut ceu diſtinctam ſpeciem proponere fuerim auſus, niſi forte valvularum ſpathæ numerum non eundem ſufficere credas. Solam fructificationem deſcribam. Spatha trivalvis; valvulis ovatis, obtuſis, concavis, inferne virentibus, ſuperne ſcarioſis & fuſcis, germen involventibus eoque duplo longioribus. Corolla tota miniata, incurva, biuncialis, tubo breviſſimo, fauce longiſſima & infundibuliformi, limbi patentis laciniis lanceolatis acutis & alternis duplo latioribus. Filamenta ſubulata, alba, ſuperne miniata, petalo paulo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes, nigræ. Stylus ſubulatus, corolla longior, colore filamentorum. Stigma trifidum, miniatum; laciniis capillaribus, bifidis, patulis.

## DXXXIV.

## GLADIOLUS CUSPIDATUS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Junio. Totus glaber. Bulbus ſubrotundus, avellana multo major, tunica fuſca

tectus, alteri impoſitus. Folia lineari-enſiformia, acuta, integerrima, ſtriatula, nervo medio utrinque prominente, erectiuſcula; radicalia tria longe vaginantia & fere longitudine caulis, caulina duo brevia. Caulis ſimplex, teres, pennæ columbinæ craſſitie, flexuoſus, erectus, ſesquipedalis. Flores ſecundi, plerumque quatuor, ſeſſiles, diſtantes, patuli, inodori, ad minus quatuor uncias longi. Spatha bivalvis, longior biuncialis, acuta, convoluta, viridis; valvula exteriore integerrima; interiore bidentata & breviore. Corollæ tubus ad altitudinem usque ſpathæ cylindricus, dein paulatim ampliatus & infundibuliformis, incurvulus, foris ſordidiſſime pallens cum ſuffuſa purpura. Limbi ſexfidi laciniæ lanceolato-cuspidatæ, magis minusve undulatæ, ſæpe obliquæ, patentiſſimæ; tres ſuperiores duplo latiores, paulo longiores, utrinque ſordidiſſime & pallide carneæ cum faſcia in dorſo purpuraſcente; tres inferiores ſtramineæ cum macula ad baſin purpureo-rubra & ocellata. Filamenta tria, alba, longitudine faucis. Antheræ ochroleucæ Stigmatis trifidi & ſtaminibus longioris laciniæ apice lateſcentes & emarginatæ.

## DXXXV.

### GLADIOLUS TUBATUS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario & Februario. Bulbus ſubrotundus, avellana magnitudine, tunica fuſca veſtitus, alteri impoſitus. Folia enſiformia, acuta, plicata, tota & ad oras hirſuta, ex petiolo longo vaginante orta, nervis a latere interiori ortis nervoſa, erecta, a quinque ad decem uncias longa. Scapus teres,

res, villoſulus, mollis, pennam columbinam craſſus, foliis brevior, horizontaliter inflexus. Flores plures, ſpicati, erecti, ſecundi. Spatha villoſa, mollis, viridis cum apice ferrugineo, bivalvis, acuta, concava, ſtriatula, erectiuscula; valvula interiore multo minore & bidentata; exteriore ſæpius integerrima, interdum tridentata cum denticulis lateralibus minutis & breviſſimis. Corollæ tubus cylindricus, ſuperne ampliatus parumper, incurvulus, glaber, albidus, duas cum dimidia uncias longus. Limbi ſexfidi ſubringentis & glabri laciniæ lanceolatæ, veluti unguiculatæ, acutæ, unciales, ex ochroleuco albidæ cum dorſo medio ſubpurpuraſcente; ſumma concava & erecta; reliquæ ſupra medium patentiſſimæ; tres alternæ mucronatæ; tres inferiores ſupra unguem macula ſanguinea tinctæ, & ſuperioribus minores. Filamenta tria, filiformia, albida, apice incurvata, ad dorſum laciniæ ſummæ petali poſita, quo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ, ochroleucæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, apice lateſcentes, ſtaminibus longiores.

## DXXXVI.

### GLADIOLUS TUBATUS. Varietas.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Junio, inter pulchriores Gladiolos numerandus. Bulbus ſubrotundus, avellana major, tunica fuſca veſtitus, alteri impoſitus. Folia enſiformia, acuta, integerrima, plicata, nervis percurſa a baſi interiore ortis, utrinque & ad oras villoſa, mollia, erecta, ex petiolo longo vaginante orta, longiora pedalia. Scapus ramoſus, teres, villoſus, mollis, pennam colum-

binam craſſus, foliorum plus minus longitudine, infra flores horizontaliter inflexus. Flores plures, ſpicati, ſecundi, erecti, inodori, quadriunciales. Spatha bivalvis, villoſa, mollis, acuta, concava, ſtriatula, erecta, viridis cum apicibus ferrugineis; valvula exteriore tridentata cum denticulo intermedio breviſſimo; interiore bidentata & minore. Corollæ tubus longiſſimus, ex cylindro in faucem infundibuliformem deſinens, incurvulus, glaber, violaceus. Limbi ſexfidi ſubringentis & glabri laciniæ obverſe ovatæ, patentes, foris ad tubum usque pallide ochroleucæ cum faſcia media rubra, tres alternæ mucrone ad apicem inſtructæ; tres ſuperiores concavæ & intus pallide carneæ; tres inferiores intus pallide ochroleucæ cum macula ad baſin ſaturate ſanguinea, minores; ſumma reliquis latiore. Genitalia omnino uti in Gladiolo tubato præcedenti.

## DXXXVII.

### GLADIOLUS TRISTIS. Varietas.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Januario & Februario. Folia calamum & ultra craſſa, quam maxime ſpiralia. Flores tres quatuorve, ſuaveolentiſſimi. Spatha bivalvis. Corollæ tubus gracilis, ſubcylindricus, longitudine ſpathæ, expanſus in faucem infundibuliformem. Limbi patentis laciniæ lanceolatæ, acutæ; tres ſuperiores latiores & interne notatæ punctis purpureis, etiam in dorſo conſpicuis; tres inferiores in medio viridulæ. Tota cæterum ex ſulphureo corolla albet.

## DXXXVIII.

### GLADIOLUS ALBIDUS.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Majo; totus glaber. Bulbus ſubrotundus, tunica fuſca tectus, magnitudine avellanæ. Folia plura, diſticha, alterna, enſiformia, acuminata, integerrima, ſtriatula, erecta, plus minus obliqua, firma, altero margine vaginantia, infimum longius ſemipedale, ſuperiora ſucceſſive breviora. Scapus teres, pennam columbinam craſſus, flexuoſus, erectus, una cum ſpica vix pedalis. Spatha bivalvis, erectiuſcula, ſeſcuncialis, viridis; valvulis lanceolatis, acuminatis, convolutis; interiore breviore. Flores tres quatuorve, ſeſſiles, alterni, inodori, parumper nutantes, triunciales. Corollæ albæ tubus ſubcylindricus, incurvus, ſuperne in faucem ampliatus, fere longitudine ſpathæ. Limbus campanulatus, ſexfidus, patens; laciniis lanceolatis, acutis; tribus ſuperioribus immaculatis, longioribus, undulatis & ſpatha duplo longioribus; tribus inferioribus apice conniventibus & purpuraſcentibus, ſupraque medium maculas duas roſeas gerentibus. Filamenta tria, capillaria, longitudine faucis, cujus dorſo accumbunt. Antheræ lineares, erectæ, flaveſcentes. Germen oblongum. Stylus filiformis, corolla paulo brevior, arcuato-erectus. Stigmatis trifidi & albi laciniæ patulæ, apice lateſcentes, bilamellatæ, intus villoſæ.

DXXXIX

## GLADIOLUS ROSEUS.

Ex Promontorio bonæ Spei ; florens apud nos Junio ; totus glaber. Bulbus ſubrotundus, tunica ferruginea tectus, avellanæ magnitudine. Folia enſiformi-linearia, acuta, integerrima, longe vaginantia, nervo medio utrinque protuberante; radicalia pluſcula & pedalia; caulina unum ad nodum infra ramos ad extremitatem vaginæ altioris folii radicalis, reliqua ad ramos ſubaxillaria, omnia breviora & anguſta. Caulis teres, flexuoſus, ramoſus, gracilis, foliis paulo longior, erectiuſculus vel ſupra ramos declinatus. Flores ſpicati, ſecundi, plerumque bini vel terni, biunciales, inodori, erectiuſculi. Spatha bivalvis, ſcarioſa, ſtraminea cum ſuffuſo rubore, acuminata, concava, erecta, ſtriata; valvula exteriore integerrima & longiore, interiore apice bifida. Corollæ tubus gracilis, incurvulus, in faucem infundibuliformem deſinens, pallide roſeus. Limbi ſexfidi & patentiſſimi laciniæ rotundatæ, intus ex roſeo pallidæ; ſumma ovata, duplo latior, ſubtus albida cum faſcia roſea; reliquæ oblongæ, ſubtus roſeæ cum faſcia ſaturatiore; tres inferiores ſupra baſin inſignitæ macula ſubcuneiformi rubra cum area longitudinali flava, & ad oras in ortu macula parva rubra. Filamenta tria, ſubulata, roſea, dorſo faucis accumbentia, cujus longitudine. Antheræ lineares, erectæ, atroviolaceæ. Stylus roſeus, longitudine ſtaminum. Stigmatis trifidi & roſei laciniæ apice lateſcentes & patentes.

DXL.

## DXL.

GLADIOLUS LONGIFLORUS. *Linn. ſyſt. pag.* 87. *Thunb. diſſ. num.* 22. *pag.* 19.
Ixia longiflora. *Berg. cap. pag.* 7.
Ixia paniculata. *La Roch. ſpec. pag.* 26. *tab.* 1.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Februario & Martio. Totus glaber. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fuſceſcente tectus, alteri bulbo impoſitus. Folia alterna, diſticha, anguſte enſifolia, acuta, integerrima, ſtriatula, nervo medio utrinque protuberante, altero margine vaginantia, caule breviora, erectiuſcula. Scapus teres, flexuoſus, ramoſus, plus minus ſesquipedalis, pennam columbinam craſſus, erectiuſculus. Rami diſtantes, patuli. Flores laxe ſpicati, a quinque ad octo, ſeſſiles, erecti, inodori, fere triunciales. Spatha bivalvis, ſcarioſa, ſtriata, fuſceſcens, erecta, brevis; valvula exteriore latiore tridentata, altera bidentata. Corollæ albidæ tubus cylindricus, longiſſimus, incurvatus, ex purpureo ſexſtriatus. Faux infundibuliformis. Limbi ſexfidi laciniæ oblongæ, obtuſæ, patentiſſmæ; quarum ſumma fere duplo latior & ſæpe erecta; tres inferiores in fauce faſciam flavam habent. Filamenta & Styli albent. Antheræ clauſæ purpuraſcunt, expanſæ atroviolaceæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, nec apice lateſcentes.

Datur hujus elegans varietas, corollæ tubo & fauce purpureis, limbo pallide flaveſcente cum faſcia ſubtus longitudinali rubra; cujus ſpica exhibetur in tabulæ ſeptimæ figura prima.

DXLI.

## DXLI.

## GLADIOLI LONGIFLORI VARIETAS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Februario & Martio. Tota planta glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fuſca veſtitus. Folia radicalia pauca, erecta, debilia tamen & ob longitudinem ſæpius reflexa, lineari-enſiformia, acuta, ſtriatula cum nervo medio utrinque protuberante, integerrima, longius ſesquipedale vel bipedale, altero margine fiſſo longe vaginantia. Scapus teres, gracilis, erectus, in noſtris omnibus individuis ſemper ſimpliciſſimus foliisque brevior. Flores inodori, erectiuſculi, ſeſſiles, diſtantes. Spatha bivalvis, ſcarioſa, albida, erecta; valvula exteriore obtuſa vel truncata; interiore ſuperne bifida, acuminata, & ejusdem longitudinis. Corolla monopetala, uniformiter pallide ochroleuca cum ſolis tribus laciniis latioribus in fauce ſupra ortum parumper purpuraſcentibus. Tubus anguſtus, biuncialis aut longior, incurvulus, ſuperne in faucem infundibuliformem brevemque ampliatus. Limbus ſexſidus, patentiſſimus in ſtellam; laciniis oblongis, obtuſis, emarginatis, æqualibus, uncialibus, tribus alternis paulo anguſtioribus. Filamenta tria, filiformia, corollæ ſupra medium tubum adnata, alba. Antheræ lineares, baſi haſtatæ, erectæ, ochroleucæ, longitudine tubi corollæ; polline luteo. Germen oblongum, nitidum. Stylus capillaris, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum; laciniis ſuperne lateſcentibus, obtuſis, patulis.

DXLII.

## DXLII.

GLADIOLUS BICOLOR. *Thunb. diſſ. pag. 16. tab. 2.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario & Februario; totus glaber. Bulbus ſubrotundus, tunicis craſſis reticulatis duris & imbricatis tectus, ſine his piſi magnitudine. Folia plura, diſticha, enſiformia, acutula, integerrima, lineatula, nervo medio utrinque protuberante, erecta, latere altero fiſſo vaginantia & mutuo amplexantia, majorem ſcapi partem ſic includentia, longiora ſemipedalia, & plus minus ſemunciam lata. Scapus pedalis, erectus, flexuoſus, teres, in noſtris individuis nec ſtriatus nec biſulcatus, ſuperne flores gerens ſeſſiles & alternos duos tresve. Summa duo folia vere caulina ſunt, nec ex bulbo oriuntur; ex quorum axillis tardius egreditur pedunculus uniflorus gracilior & biuncialis, qui tamen in vagina folii ſæpe ſuffocatur, ut eminere nequeat. Spatha bivalvis, ſcarioſa, cinerea cum venis fuſceſcentibus, ſuperiore ambitu lacero-partita, laciniis acutis; exteriore valvula uni-acuminata, amplexante interiorem bi-acuminatam. Corolla ringens, erectiuscula, uncialis vel ſeſcuncialis. Tubus ad altitudinem usque ſpathæ filiformis, ſupra hanc ampliatus in faucem campanulatam & parumper incurvatam, ex viridi flaveſcens. Limbus ſexfidus, patens, obtuſus, tubo brevior. Lacinia ſumma ovata, concava, erecta, reliquis major multoque latior, flaveſcens, ſuperne violaceo-purpurea. Laterales duæ, prioris latus claudentes, ſunt oblongæ, patentiſſimæ, flavæ, ad oras ſuperne leviter convolutæ. Tres inferiores lanceolatæ, minores, patentiſſimæ, inferne ad oras convolutæ, flavæ; quarum intermedia duplo minus profunde partita,

extra laterales locata, quæ huic incumbunt. In ſauce infra unamquamque petali laciniam duplex lineola purpurea decurrit, etiam in dorſo parumper conſpicua. Filamenta tria, filiformia, fundo tubi adnata, corolla breviora, albida. Antheræ oblongæ, erectæ, hinc albidæ, inde cæruleſcentes. Germen inferum, oblongum, triquetrum. Stylus filamentis ſimilis. Stigma trifidum; laciniis apice lateſcentibus, ſuperne villoſis, patentiſſimis.

## DXLIII.

## GLADIOLUS REFRACTUS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Aprili & Majo. Totus glaber. Bulbus ovatus, avellana major, tunica fibroſa ferruginea tectus, alteri impoſitus. Folia radicalia plura, lineari-enſiformia, acuta, integerrima, utrinque nervoſa, diſticha, firma, erecta, latere interiore fiſſo vaginantia, longiora ſesquipedalia. Scapus teres, pennam columbinam craſſus, remote ramoſus, foliorum longitudine vel longior, ſupra horum vaginas reflexus, dein erectus, folio ad quemlibet ramum inſtructus amplexicauli breviori & canaliculato. Flores ſpicati, ſecundi, a quatuor ad ſeptem, plus minus unciales, inodori, erecti in rhachi horizontaliter reflexa. Spatha bivalvis, brevis, erecta, connivens, ſtriatula; valvula exteriore modo truncatula & vix dentata, modo varie denticulata, interiore bidentata & acuminata. Corollæ reſupinatæ tubus cylindricus, calyce duplo longior, ſupra hunc incurvatus, anguſtus. Faux longe campanulata, deſinens in limbum ſexfidum, ſubringentem, laciniis ovatis, acutis; ſuperioribus

bus tribus, ubi ratione curvaturæ tubi & ratione ſitus florum in ſcapo deberent eſſe inferiores, latioribus, longioribus, & erectiuſculis; tribus inferioribus, ubi ſtare deberent ſuperiores, in medio linea longitudinali atropurpurea inſcriptis, lateralibus præterea in facie ad latus internum faſcia marginali fulva, & lacinia intermedia in utroque latere ſimili faſcia pictis. Faux & limbus dorſo ex purpureo ſordent, antice ſordide flavent. Filamenta tria, longitudine faucis. Antheræ lineares, obtuſæ, erectæ, albæ. Germen oblongum. Stylus longitudine ſtaminum. Stigmatis triſidi laciniæ filiformes, biſidæ & apice lateſcentes.

## DXLIV.

GLADIOLUS CRISPUS *Linn. ſyſt. pag.* 86. *Thunb. diſſ. num.* 7. *pag.* 7.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Januario, Februario & Martio. Bulbus ſubrotundus, avellana minor, cortice fibroſo fuſcoque indutus, alteri bulbo impoſitus. Folia plerumque quatuor, alterna, altero margine fiſſo amplexicaulia, infima ſic vaginantia, diſticha, lineari-enſiformia, acuminata, utrinque ſtriata & glabra, ad oras criſpa & barbata, firmula, erecta, plus minus quadriuncialia. Caulis teres, parum flexuoſus, erectus, glaber, plus minus pedalis. Flores inodori, plus minus ſeni, ſpicati, alterni, diſtantes, erecti, ſecundi. Spatha bivalvis, lanceolata, connivens, erecta, glabra, viridis cum apice ſcarioſo bidentato acuto & ferrugineo, tubo corollæ duplo vel triplo brevior. Corollæ tubus gracilis, carneus, incurvulus, biuncialis. Limbus ſexfidus, campanulatus, patulus, ex

 ſul-

ſulphureo carneoque pallens; laciniis oblongis, rotundatis, percurſis baſi duabus lineolis rubris, quæ in tribus laciniis inferioribus anguſtioribus ſuperne convergunt in mucronem longum. Filamenta tria, in fauce ſita. Antheræ oblongæ, erectæ, foris atroſanguineæ, antice ſupra albidæ & infra cæruleæ. Stylus filiformis, longitudine corollæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, apice lateſcentes. Germen oblongum, triquetrum, glabrum.

## DXLV.

### GLADIOLUS STRIATUS.

Ex Promontorio bonæ Spei, apud nos floruit Novembri, nec fructum tulit. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, alter alteri impoſitus, tunica fuſca veſtitus. Caulis ſimplex, pedalis, erectus, teres, glaber; inferne aphyllus atroviolaceus ſolisque paucis ſpathis circumdatus. Folia alterna, plura, altero inferiori margine fiſſo amplexicaulia, enſiformia, acuminata, fortiter ſtriata, utrinque glabra & glauca, ad oras criſpa pilisque rarioribus ciliata, erecta, diſticha, longiora ſemipedalia. Caulis ultra folia abit in ſpicam ſecundam, plus minus ſexfloram, magis minusve inflexam, etiam horizontaliter protenſam. Flores ſeſſiles, ſeſcunciales. Spatha diphylla, ſeſſilis, inferne viridis, ſuperne ſcarioſa, germine duplo longior; valvulis concavis, ſubovatis, acuminatis, oppoſitis, erectis, baſi mutuo amplexantibus; exteriore integerrima; interiore ſemibifida, bicuspidata & bicarinata. Corollæ tubus incurvus, anguſtus, ſpatha duplo longior, pallide & ſordide virens. Limbus ringens, longus, profunde ſexfidus in lacinias

anguſte

anguſte lanceolatas; tribus alternis acutulis, criſpis & flaveſcentibus; aliis tribus mucronatis, pallide violaceis cum faſcia longitudinali media rubra, nec criſpis. Una ex criſpatis lacinia baſi falcata & adſcendens galeam veluti format, dum reliquæ quinque patentes labium mentiuntur inferius. Filamenta tria, filiformia, alcata, ſitu galeæ, albida. Antheræ lineares, longæ, galea paulo breviores, violaceæ. Germen ſubrotundum. Stylus ſitu & longitudine ſtaminum. Stigmatis trifidi laciniæ anguſte ſpathulatæ.

## DXLVI.

### MOROEA SORDESCENS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Januario & Februario, fructeſcit Aprili. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine vel duplo minor, ſoboliferus, alteri impoſitus. Caulis obſolete triangularis, villoſus, pennam columbinam craſſus, plus minus octo uncias longus, ex omnium foliorum alis ramoſus, erectiusculus. Rami ſimplices, compreſſuli, villoſi, ſolitarii, patuli, aphylli. Folia caulina alterna, baſi breviter vaginantia, acuminata, planiuscula, integerrima, utrinque glabra, ſtriatula, longiora decemuncialia & vix dimidiam unciam lata, inferiora flaccide patentiſſima, ſuperiora erectiuscula. Spatha terminalis, viridis, glabra, bivalvis, biflora, cum intermedio tertio flore ex ſpatha propria bivalvi minima & hyalina tardius prioribus prodeunte. Pedicelli proprii villoſuli, albidi, ſpatham æquantes. Corollæ utrinque ex purpureo ſordentis & imberbis petala tria alterna latiora ſupra unguem maculam gerunt ſubrotundam flavam

vam cum punctis ſanguineis cumque ambitu ſuperiori atropurpureo. Unguis viridis ad baſin macula ſimili donatur, ſed impunctata. Reliqua tria ſupra unguem notantur arcu transverſo ſordide cæruleſcente. Antheræ cæruleſcunt. Germen glabrum viret. Stigmata infra diviſuras cæruleſcunt, cæterum pallida. Capſula & ſemina coloris ſtraminei.

CAL. Spatha bivalvis, convoluta; valvulis lanceolatis, acuminatis, integerrimis, concavis, erectis, altera paulo breviore.

COR. Petala ſex, ex ungue erecto omnia patentiſſima, oblonga, obtuſa, plana; quorum tria duplo anguſtiora.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, baſi in unum corpus connata, erecta, accumbentia ſtigmati. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen inferum, ovale, triſulcatum. Stylus filiformis, erectus, brevis. Stigmata tria, lanceolata, plana, ſemibifida, acuta, erecta, fere longitudine corollæ.

PER. Capſula obverſe ovata, ad ſemina toruloſa, trilocularis, trivalvis.

SEM. pluscula, ſubovata, acuta, glabra.

## DXLVII.

### GALAXIA PLICATA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Januario. Tota glabra eſt. Bulbus conicus, baſi planus, fuſcus, ſtriato-rugoſus, durus, avellana minor. Caulis ſescuncialis, infra terram foliolo radicali ſpathæformi acutoque vaginatus, teres, ſuperne incraſſatus, albidus,

ſupra

ſupra terram erectus vel adſcendens, apice ſolutus in faſciculum denſum foliorum ſeſſilium mutuo baſi amplexantium & ſtriato-plicatorum. Folium infimum plus minus quinque uncias longum, lineare & ab apice verſus baſin paulatim lateſcens, acutum, erectum. Aliud, huic fere oppoſitum, eſt oblongum, obtuſum, ſescunciale, latere altero fiſſo, uti præcedens, amplexicaule, ſuperne patentiſſimum. Reliqua ſunt ſublinearia, obtuſa, undulata, patula. Flores axillares, ſolitarii, ſeſſiles, albi, fortiter nec grate odorati, ſpirantes aliquid lilii martagonis. Spatha albida, pellucida, ſuperne ad oras incraſſata & viridis, uncialis. Tubus corollæ unciam ſuperat. Modo in laciniis limbi ad baſin punctum adeſt violaceum, modo deſideratur. Antheræ lacteſcunt cum polline cæruleo.

CAL. Spatha univalvis, obtuſula, connivens, ſublinearis, inferne germen corollamque includens, erecta.

COR. monopetala, ſupera. Tubus filiformis, incurvatulus, longus, ſuperne triangularis. Limbi ſexfidi laciniæ lanceolatæ, acutulæ, parum concavæ, patentiſſimæ, ſubæquales, tubo triplo breviores.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, diſtincta, erecta, tubo corollæ ſummo inſerta, limbo breviora. Antheræ oblongæ, haſtatæ, incumbentes.

PIST. Germen inferum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patentiſſimum; laciniis obtuſis, ſubbifidis.

PER. & SEM. . . .

## DXLVIII.

CYPERUS VISCOSUS. *Swartz. prodr. pag.* 20. *Ait. kew. pag.* 79.
Cyperus odoratus viſcoſus ſubteres maritimus, ſpicillis compreſſis conglobatis & radiatis. *Brown. jam. pag.* 129.

Sponte creſcit in humidis maritimis Antiguæ, Jamaicæ & Venezuelæ. In caldariis noſtris floret æſtate. Ex radice perenni plures attolluntur culmi bipedales, triquetri, erecti, graciles, inferne viſcoſuli & vaginis acutis amplexantibus incluſi. Folia inſuper radicalia pauca, linearia, anguſta, acuta, carinata, ad oras nullatenus ſcabra, culmo breviora, inferne vaginantia. Umbella terminalis, compoſita. Involucri foliola fere tot, quot radii, inæqualia, longiora ferme pedalia, foliis ſimillima. Radii plus minus octo, graciles, inæquales, longiores quinqueunciales, in ambitum horizontaliter & ſtricte patentes; centrali, erecto, omnium breviſſimo. Capitula ſubrotunda ex ſpiculis denſis, ſeſſilibus, oblongis, dentatis, compreſſis; alia ſimpliciſſima involucelloque fere deſtituta; alia radiis paucis brevioribus minoribusque capitellis terminatis ſuffulta involucellisque donata. Glumæ calycinæ albæ cum dorſo viridi, ovatæ, acutæ, conniventes, apicibus reflexo-patulæ. Genitalia generis. Germen valde triquetrum.

## DXLIX.

PASPALUM RACEMOSUM.

Creſcit in America auſtrali. Planta radice perenni tam in caldario quam ſub dio floret a Junio ad Auguſtum. Culmi ex eadem radice

dice pluſculi, teretes, nitidi, baſi nonnunquam procumbentes, cæterum erecti, debiles, ad genicula incraſſati, ramoſi, quinquepedales, calamo graciliores, inferne ſæpius purpuraſcentes, ex inferioribus geniculis pluribus radicantes. Folia alterna, elongate lanceolata, acuta, utrinque glabra & ſubtiliſſime lineata, ad oras retrorſum ſcabra, plana, a quinque ad octo uncias longa, plus minus unciam lata, ſubtus glauca, facie virentia; orta ex vagina plus minus biunciali, glabra & ad oras purpurea. Racemus in caule & ramis terminalis, erectus, plus minus ſemipedalis, ex ſpicis numeroſis, breviter pedicellatis, patentiſſimis, uncialibus. Rhachis membranacea, ciliata; cujus uni paginæ flores duplici ſerie denſe inſident alterni, breviſſimo pedicello villoſo innixi, ad rhachin appreſſi. Calycis valvulæ rubent cum ſtria longitudinali media & oris albidis. Petala, piſtillum totum & filamenta albent. Antheræ purpuraſcunt. Semina pallent.

Cal. Gluma uniflora, membranacea, antice concava, dorſo convexula, bivalvis; valvulis oblongis, obtuſe & barbate mucronatis, conniventibus, ſubæqualibus, ad oras circa medium crenatis & ſuperne ciliatis, interiore exterius poſita.

Cor. Gluma bivalvis, calyce duplo minor, hinc plana, illinc convexula; valvulis ſubovatis, obtuſis, integerrimis, æqualibus, conniventibus.

Stam. Filamenta tria, capillaria, calycem ſuperantia. Antheræ oblongæ, didymæ, utrinque bifidæ.

Pist. Germen ſubrotundum, parvum. Styli duo, breves. Stigmata longa, hirſutiſſima.

PER. Glumæ perſiſtentes & ſemen includentes.
SEM. unicum, figura corollæ.

## DL.

CRUCIANELLA MONSPELIACA. *Linn. ſyſt. pag.* 152. *Allion. ped. vol.* 1. *pag.* 10.
Crucianella repens, foliis ſenis, ſpicis longis. *Sauv. monſp.* 225.
Rubia ſpicata repens. *Magn. monſp. pag.* 225.
Rubeola ſupina, ſpica longiſſima. *Tourn. inſt. pag.* 130.

Circa Monſpelium & Nicæam ſponte creſcit. Annua planta ſub dio apud nos floret totam æſtatem. Caulis baſi adſcendens, ramoſus, tetragonus, aſperiuſculus, ramis erectiuſculis. Folia ſtellata, ſubpetiolata, acuta, integerrima, aſpera, plus minus uncialia; inferiora quaterna & ſubovata; ſuperiora ſena & lineari-lanceolata. Spicæ terminales, erectæ, ſemipedales, imbricatæ bracteis lanceolatis acuminatis glabris & appreſſis. Flos intra quamlibet bracteam ſeſſilis, ſolitarius. Calycis diphylli foliola albida cum dorſo virente, ad oras & in dorſo ciliata. Corollæ tubus albus, limbus flavus. Antheræ flavæ. Fructificatio plane ad characterem Linnæanum eſt.

## DLI

PLANTAGO CRISPA. *Tab.* 16.

Patria mihi ignota eſt. Planta multiceps, tota rigida & hirtula, æſtatem ſub dio, hyemem in frigidario agit. Radix perennis conſtat

ſtat ex aggerie fibrarum craſſarum ramoſarum albidarumque. Folia radicalia plurima, craſſa, ex petiolo canaliculato erectoque ovata vel lanceolata, obtuſa, ad oras magis minusve dentata, ſæpe fere integerrima, criſpa, bullata, nervoſa, atrovirentia, duas tresve uncias longa. Scapi plures, teretes, erecti, longitudine foliorum. Spicæ teretes, denſæ. Calycis glabri, virentis nitidique foliola ſubrotunda, obtuſa, inæqualia, carnoſa. Petali albidi laciniæ acutæ. Semina ovata, ad lentem punctata, nigricantia, nec nitida.

## DLII.

## PLANTAGO PATAGONICA.

Creſcit ad Champion-River in Patagonia. Floret totam æſtatem. Radix ramoſa, albida, annua, duas tresve uncias longa. Folia radicalia plurima, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, ſubcanaliculata, craſſula, ſubincana, tres quatuorve uncias longa, proſtrata, patentia aut erecta. Scapi plurimi, teretes, a ſescuncia ad quinque uncias longi, modo proſtrati, modo erecti, rigidi, nec ſtriati aut angulati. Spica terminalis, erecta, cylindrica, calamum craſſa, compacta, plus minus biuncialis. Bractea ad ſingulos flores lanceolato-linearis, acutula, flore longior, craſſula. Perianthii ad baſin fere usque quadripartiti foliola oblonga, obtuſa, concava, in dorſo & ad oras piloſa, erecta, virentia cum margine albo & hyalino. Corollæ albæ tubus cylindricus, longitudine calycis. Limbi quadrifidi laciniæ lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ. Filamenta quatuor, capillaria, tubo corollæ innata, tam brevia, ut in ſpica non conſpiciantur. Antheræ

parvæ, flavæ, pertingentes ad faucem tubi. Germen ovale. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex. Semina plus minus tria, lanceolata, compreſſa, fuſca.

## DLIII.

ILEX SALICIFOLIA. *Tab. 2. fig. 2.*

Creſcit in inſula Mauritii. Apud nos in caldario floret Aprili & Majo; fructum non ferens. Tota glabra eſt. Frutex decempedalis, ramoſus; caule tereti, fuſco, erecto, brachium craſſo. Rami juniores virides nitidique. Folia ſparſa, primum prodeuntia tota rubra, dein læte viridia cum oris brevibusque petiolis rubellis, elongate lanceolata, acutula, baſi & ſummitate integerrima, cæterum ſerrulata, coriacea, nitida, a duabus ad quatuor uncias longa. Pedunculi filiformes, vix unciam longi, dichotomi; pedicellis geniculatis. Flores minuti. Calyx viret. Corolla alba, ad oras per lentem ſubtiliſſime denticulata. Et alia ad genus.

## DLIV.

CAMPANULA DICHOTOMA. *Tab.* 12. *Linn. ſyſt. pag.* 208. *Linn. amœn. vol.* 4. *pag.* 306.

Campanula hirſuta, ocymi folio caulem ambiente, flore pendulo. *Bocc. ſic. pag.* 83. *tab.* 45. *fig.* 1. *Moris. hiſt. vol.* 2. *pag.* 459. *ſ.* 5. *tab.* 3. *fig.* 26.

Sponte creſcit in Sicilia. Planta annua, tota hirſuta, ramoſiſſima, ſubdichotoma, plus minus pedalis, partim procumbens, partim

erecta,

erecta. Caules teretes, ſtriatuli. Folia alterna, ſeſſilia, ovata, acuta, integerrima, unciam plus minus longa. Pedunculi axillares, uniflori, erectiuſculi, foliis plerumque breviores. Flores penduli alii, alii patuli aut erecti. Calycis hirſuti ſinus acute dependentes; laciniæ lanceolatæ, acuminatæ & erectæ. Petali laciniæ ovatæ, acutæ, patentes, cæruleo-purpureæ. Capſula depreſſa, quinquelocularis, quinquevalvis, tecta. Semina numeroſa, minutiſſima, nitida.

## DLV.

GARDENIA CLUSIAEFOLIA. *Tab.* 4. *fig.* 3.

Arbor Jasmini floribus albis, foliis Cenchramideæ, fructu ovali, ſeminibus parvis nigris mucilagine involutis. *Catesb. car.* 1. *pag.* 59. *tab.* 59.

Creſcit in inſulis Bahamenſibus, vulgo ab incolis dicta Seven Years Apple, ſive Pomus ſeptennis. In caldariis noſtris floret Auguſto & Septembri, ſed fructum non fert. Arbuſcula quinquepedalis, tota glabra; caule erecto, terete, ſuperne ramoſo, cinereo, æquabili, uncialis diametri; ligno albido. Rami juniores virides, calamum craſſi. Folia oppoſita, breviter petiolata, obverſe ovata, obtuſa, ſæpe cum parvo innocuo mucrone, alias etiam emarginata, integerrima, venoſa, nitida, coriacea, plerumque oris reflexis convexula, longiora ſemipedalia, baſi ſucceſſive anguſtata. Stipulæ inter folia latiſſime ſeſſiles, triangulares, acutæ, appreſſæ. Pedunculi ramoſi, multiflori, terminales, erecti. Flores ſuaveolentes, erecti; calyce viridi cum denticulis aurantiacis; corolla coriacea, tubo pallide vireſcente,

limbo

limbo albo cum apicibus plus minus aurantiacis. Antheræ flavæ. Stylus inferne albus, ſupra medium una cum ſtigmate ſordide aurantiacus.

Cal. Perianthium ſuperum, parvum, monophyllum, quinquedentatum; denticulis ſubulatis, acutis, concavis, erectis, diſtantibus.

Cor. monopetala, hypocrateriformis, contorta. Tubus obſolete & obtuſe pentagonus, ſuperne pauxillum ampliatus. Limbus quinquefidus; laciniis lanceolatis, acutis, patentiſſimis, longitudine tubi.

Stam. Filamenta nulla. Antheræ quinque, lineares, acuminatæ, erectæ, tubo corollæ inſertæ, quo breviores.

Pist. Germen inferum, turbinatum. Stylus filiformis, ſupra medium duplo craſſior, erectus, longitudine tubi corollæ. Stigma bifidum, corollæ tubum ſuperans; laciniis lanceolato-linearibus, acutis, erectis.

Per. Bacca magna, ovalis, . . .

Sem. plura, ſubrotunda, plana, nidulantia in pulpa molli.

## DLVI.

### DRIMIA ELATA.

Bulbus liliaceus vomitorius capitis bonæ Spei. *Breyn. cent. pag.* 91. *tab.* 40.

Non potui ad ullum ex cognitis generibus reducere; unde novum feci a Græco δριμὺς ob radicis acrimoniam. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos raro menſibus Julio & Auguſto ante foliorum egreſſum, ſed fructum, qui mihi futurus videbatur capſula, non matu-

maturavit. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, magnitudine pugni, ſquamoſus, ex rubro fuſceſcens; ſquamis ovatis, concavis, truncatis, carnoſis, craſſis, ſucco plenis cutim inflammante & veſicatorio; ex baſi fibrillas emittens longas craſſulasque. Folia pluscula, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, baſi canaliculata, ſubtus nervo medio carinata, erectiuſcula, e viridi glauca, longiora vix pedalia. Scapus ad folia lateralis, teres, calamum craſſus, bipedalis, erectus, glauceſcens, ſuperne racemoſus. Pedicelli numeroſi, uniflori, patentiſſimi, ſemunciales, ſuffulti ſinguli bracteola lanceolata, acuta, breviore, purpuraſcente. Corolla foris viridula, intus albida cum faſcia media virideſcente, ad lucem minimis punctis pellucida. Filamenta purpuraſcunt. Antheræ fuſceſcunt cum polline viridi.

Cal. nullſus.

Cor. monopetala, infera. Tubus brevis. Limbus ſexfidus; laciniis oblongis, acutulis, longis, revoluto-reflexis.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, fere longitudine corollæ, cujus tubo adnata. Antheræ oblongæ, utrinque ſulco exaratæ, incumbentes.

Pist. Germen ovatum, ſexſulcatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus paulo longior. Stigma capitatum, trilobum.

Per. Capſula. . . .

Sem. plura. . .

DLVII.

## DLVII.

### DRIMIA MEDIA. *Tab. 5. fig.* 4.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Septembri. Tota glabra eſt. Bulbus ex ovato ſubrotundus, tunicatus ex ſquamis craſſis quidem, tamen foris æquabilis, ex purpureo fuſco cinereoque varius, diametri biuncialis, fibris craſſis radicatus, læſus dimittens ſuccum copioſum aqueum & urentem cutim. Folia plurima, ſubulato-ſemiteretia, leniter canaliculata, acuta, erectiuſcula, ſuperne patula, plus minus pedalia, ad lentem minute punctatula. Scapus attollitur, dum folia jam ſunt in vegeto ſtatu, axillaris, nec lateralis, foliis paulo altior, teres, pennam columbinam craſſus, erectus, terminatus in racemum cylindricum & tandem ſemipedalem. Pedunculi numeroſi (fere quadraginta), vix ſemunciales, patentiſſimi, ſuffulti bracteola lanceolata, acuta, ſcarioſa & patente. Flores inodori. Corollæ tubus viret; laciniæ ſunt albidæ & apice parumper concavæ. Antheræ ſordide ex flavo fuſceſcunt. Germen viret. Character genericus adamuſſim convenit cum Drimia elata. Capſula oblonga, ſuperne paulo amplior, obtuſiſſima, ex fuſco cineraſcens, glabra, erecta, trilocularis, trivalvis. Semina fere ſolitaria, oblonga, nigricantia, longitudine loculamenti, in quo ſtant erecta.

## DLVIII.

### DRIMIA CILIARIS. *Tab. 5. fig. 5.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Octobri & Novembri. Bulbus ſubrotundus, duas uncias diametro æquans, conſtans ſquamis craſſis, rubro-fuſcis, ſucco acri & veſicante turgidis. Folia plura, ſublinearia, acutula, integerrima, antice planiuſcula, ſubtus dorſo medio protuberante carinata, ad oras pilis ciliata, cæterum glabra & nitida, erectiuſcula, ſemipedalia, unam quartam unciæ partem lata. Scapus ad folia lateralis, ante folia exortus, teres, glaber, penna columbina gracilior, erectus, ſesquipedalis una cum racemo, ſordide vireſcens. Pedicelli viginti & ultra, ſemunciales, patentiſſimi, uniflori, bracteolis minutis ſuffulti. Flores inodori, ſtructura, magnitudine & reliquis omnibus ſimillimi Drimiæ elatæ, niſi quod corolla magis vireſcat. Capſula obverſe ovata, trialata, obtuſiſſima, ex fuſco cineraſcens, glabra, erecta, trilocularis, trivalvis. Semina ſæpius duo, oblonga, nigricantia, longitudine loculamenti, in quo ſtant erecta.

## DLIX.

### DRIMIA UNDULATA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Auguſto & Septembri, antequam folia prodeunt. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, juglande major, tunicatus, ſubacris, foris magis minusve ferrugineis; ſquamis imbricatis, truncatis. Folia lineari-lanceola-

ta, plura, acuta, integerrima, undulata, glauca, erecta, ſtriatula, firmula, quatuor vel quinque uncias longa, Octobri adulta. Scapus teres, erectus, triuncialis, pennam columbinam craſſus, ad exortum ex bulbo vagina una alterave ſcarioſa albida unciali erectiuſcula liberaque ſociatus, ſupra medium denſe racemoſus. Pedicelli horizontales, vix ſemunciales, bracteola parva albidaque ſuffulti. Flores inodori. Petala ſordide pallida cum faſcia media utrinque viridi oriſque leviter purpuraſcentibus. Filamenta albida. Antheræ luteæ Fructum non tulit.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, oblonga, obtuſula, apice involuto-fornicata, planiuſcula, baſi erecta, cæterum patentiſſima, ipſa baſi breviter connata.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis breviora, quibus ſingulis ſupra baſin innata. Antheræ ovatæ.

PIST Germen ſuperum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus filiformis, ſuperne incurvus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, ſubtrifidum.

## DLX.

### DRIMIA PUSILLA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret rarius Novembri; nec fructum tulit. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, pollicem & ultra craſſus, ſquamoſus, cum rubore fuſceſcens, paucis craſſis-

craſſisque fibris radicatus; ſquamis carnoſis, craſſis, ſucco turgentibus veſicatorio. Folia poſt ſcapum prodeunt pauca, lanceolato-linearia, acutula, integerrima, nitida, baſi anguſtata veluti in petiolum canaliculatum, erecta, læte virentia, nervo medio ſubtus protuberante, longiora quadriuncialia. Scapus ad folia lateralis, gracilis, erectus, atrovirens, duas tresve uncias longus, ſuperne racemoſus. Pedicelli uniflori, patuli, breves. Bractea ad hos ſingulos, & una alterave in ſcapo infra racemum, lanceolata, acuta, parva. Corolla viridula. Filamenta alba. Antheræ caſtaneæ cum polline luteo. Germen viride. Stylus roſeus.

CAL. nullus.

COR. monopetala, infera. Tubus brevis. Limbus ſexfidus; laciniis lineari-cuneiformibus, obtuſulis, ſuperne parum concavis, baſi in tubum erectis, dein reflexo-patentiſſimis, longis.

STAM. Filamenta ſex, filiformia, erecta, paulo breviora corolla, cujus laciniis ad baſin inſerta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, triquetrum, ſuperum. Stylus filiformis, inferne triſulcatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, obſolete trifidum.

PER. Capſula. . .

SEM. plura. . .

## DLXI.

### CRINUM TENELLUM.

Planta, quæ hoc titulo apud Linnæum venit, in Horto Kewenſi a Crinis merito ſeparata, & ſub Leucoji ſtrumoſi nomine propoſita fuit.

Huic ſcapus perpetuo in numeroſiſſimis apud nos quotannis florentibus individuis baſi rectus eſt. Linnæus filius autem in Supplemento pag. 194. ad calcem deſcriptionis monet, ſcapum ſæpe eſſe ſpiralem ut in Antherico ſpirali; unde conjicio, duas illum plantas, habitu cæterum ſimillimas, confudiſſe, & in admonitione ſua loqui de illa, quam hic ſub integrato Crini tenelli titulo propono, cui ſemper ſcapus ſpiralis eſt. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario; fructum vero, qui capſula videtur, nedum maturavit. Tota plantula glabra eſt. Bulbus ovatus, piſo paulo craſſior, tunica fuſca tectus. Folia tria vel quatuor, filiformia, acutula, ſemiteretia, plus minus triuncialia, flaccida totaque terræ incumbentia, vaginæ fuſcæ una cum ſcapo incluſa. Scapus ad folia lateralis, his duplo longior, gracilis, nitidus, inferne ſpiraliter inflexus & purpuraſcens, cæterum viridis, erectiuſculus, debilis. Pedicelli umbellati, ab unico ad quatuor, uniflori, ſescunciales, erectiuſculi. Corolla albet. Antheræ ſulphureæ, tres præcociores.

CAL. Spatha bivalvis; valvulis ſublinearibus, acutis, erectis, brevibus.

COR. monopetala, ſupera. Tubus infundibuliformis, erectus, brevis. Limbi ſexfidi laciniæ lanceolatæ, obtuſæ, patentiſſimæ, tres alternæ exteriores mucrone ad dorſum apicis auctæ.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, corolla breviora, ejusdemque tubo per totam longitudinem adnata. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST.

PIST. Germen ſubrotundum, triquetrum, inferum. Stylus craſſus, triſulcatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, trifidum.

PER. & SEM. . .

## DLXII.

### STRUMARIA LINGUAEFOLIA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Novembri & Decembri. Tota glabra. Bulbus tunicatus, ovato-ſubrotundus, nucis juglandis fere magnitudine, foris fuſceſcens. Folia pluscula baſi comprehenduntur vagina brevi tubæformi, quæ jam ante folia extra terram prima & ſola prodit, tunc læte ſanguinea, dein in planta adulta magis fuſceſcens. Folia anguſte linguæformia, apice rotundata, integerrima, plana, nitida, erectiuſcula, obſolete lineata, tres quatuorve uncias longa, raro ad dimidiam unciam lata. Scapus ad foliorum vaginam lateralis, teres, ſuperne compreſſulus, pennam columbinam craſſus, ſubpedalis, umbella florum plus minus octo terminatus. Spatha uncialis, rubella. Pedunculi unciales, virides, erectiuſculi vel patuli, ſucceſſive elongati. Flores ſuaveolentes. Petala, filamenta & ſtylus albent. Antheræ ſulphureæ polline turgent flavo. Germen & ſtigma virent.

CAL. Spatha bivalvis; valvulis lanceolatis, acutis, integerrimis, erectis.

COR. Petala ſex, anguſte lanceolata, obtuſula, æqualia, patentiſſima, ſupera.

STAM.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, erectiuſcula, longitudine corollæ, baſi connata in unum corpus ſexſulcatum, & tria alterna ibidem connata cum ſtylo. Antheræ oblongæ, incumbentes.

Pist. Germen inferum, ſubrotundum, parvum. Stylus paulo ſupra baſin incraſſatus & triſulcato-conicus, dein filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum; laciniis linearibus, patentiſſimis.

Per. Capſula ſubrotunda, triquetra, trilocularis, trivalvis.

Sem. pauca, ſubrotunda, magna.

## DLXIII.

## STRUMARIA RUBELLA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Octobri & Novembri. Tota glabra eſt. Bulbus ovatus, tunicatus, foris fuſcus, unciam longus. Folia plura, linearia, obtuſula, integerrima, a quinque ad novem uncias longa, unam tertiam unciæ partem lata, obliqua, erectiuscula. In hujus ſpeciei individuis omnibus, in horto Schönbrunnenſi ſat numeroſis, deficit ſpecioſa illa vagina tubæformis. Scapus ad folia lateralis, teres, craſſus pennam columbinam, erectus, plus minus pedalis. Flores umbellati, inodori, a ſex ad decem. Pedunculi graciles, unciales, patuli. Spatha purpuraſcens, fere longitudine pedunculorum. Petala foris rubra, intus carnea. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ flavent. Petala minime undulata.

Cal. Spatha bivalvis; valvulis lanceolatis, acutis, erectiuſculis.

Cor. Petala ſex, lanceolata, acutula, æqualia, patentiſſima.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, petalis fere duplo longiora, fere ad medietatem usque in cylindrum ſexſulcatum connata, dein libera & erecto-patula, tria alterna cum infima parte ſtyli concreta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

Pist. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus inferne filiformis & coalitus cum tribus filamentis, dein parumper incraſſatus & trigonus, hinc iterum filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patentiſſmum, ſuperne villoſum.

## DLXIV.

## STRUMARIA TRUNCATA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Octobri & Novembri. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, foris fuſcus, magnitudine nucis juglandis. Folia anguſte linguæformia, obtuſa, integerrima, pluscula, erectiuscula, a ſex ad octo uncias longa, dimidiam lata, omnia baſi incluſa vaginæ tubæformi, ſescunciali, coriaceæ, atroſanguineæ. Scapus ad vaginam lateralis, compreſſulus, plus minus pedalis, fere calamum craſſus, erectus. Flores inodori, umbellati, plurimi. Spatha purpuraſcens. Pedunculi graciles, erecti & patuli, ſpatha longiores. Petala alba cum ſuffuſa pauca rubedine. Antheræ pallidæ.

Cal. Spatha bivalvis; valvulis lanceolatis, acutis, erectiuſculis.

Cor. Petala ſex, lanceolata, obtuſa, æqualia, patentiſſima.

Stam.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis paulo longiora, baſi breviſſime connata, tria alterna concreta cum angulis ſtyli. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus ad medium uſque incraſſatus in alas truncatas, dein filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patentiſſimum, ſupra villoſum.

## DLXV.

## STRUMARIA ANGUSTIFOLIA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Septembri & Octobri. Tota glabra. Bulbus tunicatus, ovatus, externe fuſcus, avellana major. Vagina radicalis & foliorum baſes comprehendens cylindrica, ore ampliata, compreſſula, rubra, ab una ad duas uncias longa, erecta. Folia pauca, linearia, obtuſula, integerrima, nitida, erectiuſcula, quinque plus minus uncias longa, anguſta. Scapus ad vaginam foliorum lateralis, teretiuſculus, gracilis, erectus, umbella circiter octoflora terminatus. Spatha bivalvis; valvulis lanceolatis, acutis, ſcarioſis, pallidis, vix ſemuncialibus, erectiuſculis. Pedicelli graciles, erectiuſculi, alii vix dimidiam, alii ſescunciam longi. Flores odore Lilii Martagonis præditi, ſucceſſive prodeunt, ut jam adſint maturi fructus, dum ultimi in eadem umbella expanduntur. Petala intus, filamenta & ſtylus albent. Petala foris carnea ſunt. Antheræ ſunt ſulphureæ. Nectaria & germen virent. Capſula adhuc immatura jam ob ſeminum molem dehiſcit.

CAL.

CAL. Spatha bivalvis.

COR. Petala ſex, oblonga, obtuſula, æqualia, patentiſſima, ſupera Nectarium corpuſcula tria, oblonga, obtuſa, apice biſida, inter filamenta tria, cum ſtylo non connata, & ſtylum poſita.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, fere longitudine corollæ, baſi connata in unum corpus ſexſulcatum, & tria alterna prætcrea concreta cum lateribus alatis ſtyli. Antheræ ovales, incumbentes.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum, triſulcatum. Stylus ultra medietatem in tres alas laterales & ſuperne in dentem erectum liberumque excurrens, per has cum filamentis concretus, dein filiformis, triſulcatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patentiſſimum.

PER. Capſula ſubrotunda, triquetra, trilocularis, trivalvis.

SEM. plerumque ſolitaria, ſubrotunda, magna.

Singulare plantæ hexandræ monadelphæ ſimulque gynandræ exemplum. A ſtylis in ſtrumas laterales excurrentibus Strumariam appellavi. Certe hæc planta, & reliquæ Strumariæ, tum etiam Leucojum ſtrumoſum horti Kewenſis mihi quidem videntur ad unum idemque genus pertinere, quantumvis in hoc Leucojo filamenta monadelpha minime ſint, nec vel minimum cum ſtylo connata. Sed nec in Strumaria undulata ſunt filamenta coalita cum ſtylo, & tamen baſi breviter inter ſeſe connata. Cæterum in ſola hac Strumaria anguſtifolia glandulas nectariferas obſervare potui.

## DLXVI.

### STRUMARIA UNDULATA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Octobri & Novembri. Tota glabra. Bulbus ovatus, tunicatus, foris fuſcus, ſescunciam longus. Folia plura, linearia, obtuſula, integerrima, ſubobliqua, erectiuſcula, a ſex ad decem uncias longa, dimidiam lata, baſi contenta in vagina tubæſormi biunciali & ſaturate ſanguinea. Extra hanc ſcapus lateralis, teretiuſculus, erectus, ſesquipedalis, pennam columbinam craſſus. Flores inodori, umbellati, plus minus ſeni. Spatha purpuraſcens, fere longitudine pedunculorum. Hi graciles, patuli, ſescunciales. Petala foris roſea, intus pallide carnea. Antheræ flavent.

CAL. Spatha bivalvis; valvulis lanceolatis, acutis, erectiuſculis.

COR. Petala ſex, lineari-lanceolata, obtuſula, undulata, æqualia, patentiſſima.

STAM. Filamenta ſex, baſi breviter connata, erectiuſcula, cum ſtylo plane non connata, longa. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus fere totus triquetrus, ex baſi graciliore in conum anguſtum longumque incraſſatus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patentiſſimum, ſuperne villoſum.

DLXVII.

## DLXVII.

### ALLIUM STRIATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Septembri & Octobri. Totum glabrum, nec multum odorum eſt. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, tunicatus, albus. Folia radicalia plus minus quatuor, ſemipedalia aut longiora, linearia, obtuſula, obliqua, parumper canaliculata, dorſo convexula & ſtriata, nec triquetra. Transverſim diſſecta folii pars offert per lentem unum ordinem tubulorum perpendicularium, ad quorum circumferentiam abſolvendam ſtriæ folii dorſales contribuunt; ſubſtantia folii tamen ſine ulla fiſtula compacta eſt. Scapus obſoletius triquetrus, gracilis, erectus, longitudine modo foliis æqualis, modo altior. Umbella plus minus ſeptemflora, faſtigiata; pedicellis fere ſescuncialibus. Spatha bivalvis; valvulis ovato-acuminatis, ſcarioſis, erectis. Petala longe lanceolata, acutula, patula, alba cum linea longitudinali media vireſcente. Filamenta ſex, ſubulata, æqualia, petalis breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes, luteæ. Et alia ad characterem Linnæanum.

## DLXVIII

### HYPOXIS VILLOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 326. *Ait. hort. kew.* 1, *pag.* 439.

Fabricia villoſa. *Thunb. in Fabric. it. norv. pag.* 31.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. In caldario apud nos floret fere per totum annum. Bulbus ſubovatus, baſi planus, carnoſus,

ſus, ſordide albidus, ex lateribus fibrillas craſſulas albidasque emittens, avellanæ magnitudine. Folia radicalia plura, lanceolato-linearia ſive anguſte enſiformia, acuta, integerrima, utrinque & ad oras hirſuta, nervo medio in dorſo acute prominente, erectiuſcula, flaccidula, a dimidio ad totum pedem longa. Scapi axillares, graciles, ſemiteretes, hirſuti, ſemipedales, in decurſu foliis bracteisque plane deſtituti, in flore erecti, in fructu declinati, ſuperne flores tres quatuorve breviter pedunculatos ſubracemoſe ſuſtinentes. Bracteæ ad quoslibet pedunculos ſolitariæ, lineares, erectæ, hirſutæ. Flores inodori, erecti. Petala intus lutea, foris viridula. Antheræ luteæ. Stylus albus. Semina nigra. Capſula longitudinaliter dehiſcit modo cum corolla perſiſtente, modo poſt ſummam partem una cum corolla horizontaliter abſcedentem.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, ſupera, lanceolata, acutula, ſubæqualia, patentiſſima; tria exteriora foris hirſuta, apice barbata, infra apicem intus inſtructa mucrone innocuo erecto & paucibarbato.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis duplo breviora. Antheræ haſtatæ, erectæ.

PIST. Germen inferum, oblongum, triſulcatum, hirſutum. Stylus filiformis, erectus, craſſus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum, oblongum, tribus faſciis muricatis decurrens.

PER. Capſula oblonga, triquetra, hirſuta, trilocularis, trivalvis, coronata petalis emarcidis.

SEM. plura, globoſa, punctis exſtantibus exaſperata.

DLXIX.

## DLXIX.

### HYPOXIS SOBOLIFERA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret a Julio ad Novembrim. Radix conſtat ex aggerie connatorum tuberum bulbiformium, carnoſorum, magnitudine nucis juglandis; ut una radix ſæpe ollam impleat; ex quibus cespitoſe plures plantæ progerminant. Folia radicalia plura, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, conniventia & nervo medio dorſali acute carinata, utrinque pilis longis molliſſimis & decumbentibus hirſutiſſima, ſtriata, ſemipedalia, ad ſummum dimidiam unciam lata, erectiuſcula vel patula. Scapi ſucceſſive plurimi, axillares, plano-compreſſi, ancipites, foliorum fere longitudine, toti una cum petalis exterioribus tribus uti folia hirſuti, patuli, ſuperne in pedunculos duos tres quatuorve etiam compreſſulos & bracteola lanceolata hirſuta & adpreſſa ſuffultos diviſi. Flores inodori, erecti. Petala lanceolata, acutula, patentiſſima, intus ſaturate lutea, foris ex luteo virentia; tria interiora paulo anguſtiora & utrinque glabra. Filamenta ſex, ſubulata, brevia. Antheræ haſtatæ, erectæ, luteæ. Germen inferum, triangulare, hirſutum, viride, intra corollam protuberans in caput ſubrotundum & luteum. Stylus luteus, ſtaminibus brevior. Stigma luteum, ſubovatum, obtuſum, ſubtrilobum. Fructum non dedit.

## DLXX.

### HYPOXIS OBLIQUA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos totam æſtatem. Radix bulbus ſive potius tuber eſt teres, uncialis diametri, duas uncias longum, nigrum, fibris radicatum, perenne. Folia radicalia plura, lineari-lanceolata, in aliis individuis lanceolato-linearia, acuminata, integerrima, nervo medio ſubtus acute protuberante carinata, lineata, rigidula, ad oras & ad nervum dorſalem lanata, cæterum glabra, plerumque obliqua, plus minus ſemipedalia. Scapi axillares, compreſſi, hirſutuli, tres quatuorve uncias longi, in flore erectiusculi, in fructu patentiſſimi, umbellatim in duos tresve pedicellos teretes hirſutos ſeſcunciales & ſucceſſive elongandos diviſi. Bracteæ ad diviſionem geminæ, oppoſitæ, ſublineares, acutæ, hirſutæ. Si tres pedicelli ſunt, unus præterea etiam in decurſu proprias duas bracteolas habet, qui nonnunquam ipſe ad has bracteolas bifidus & biflorus eſt. In fructu pedicelli ſunt divaricati. Flores inodori, una cum totis genitalibus lutei, diametri fere uncialis, petalis externe in medio virentibus. Germen hirſutum viret.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, ſupera, lanceolata, ſubæqualia, acuta, patentiſſima, tria exteriora ſubtus infra apicem barbata.

STAM. Filamenta ſex, breviſſima, erecta. Antheræ ſagittatæ, incumbentes.

PIST. Germen turbinatum, triſulcatum, inferum. Stylus filiformis, brevis. Stigma oblongum, obtuſum, villoſum.

DLXXI.

## DLXXI.

HYPOXIS PLICATA. *Linn. ſyſt. pag.* 326. *Ait. kew.* 1. *pag.* 438.
Fabricia plicata. *Thunb. in Fabric. it. norv. pag.* 29.

Sponte creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos in caldario menſe Auguſto. Bulbus ſubrotundus, depreſſus, albus, ſolidus, plus minus uncialis diametri, alteri bulbo effœto fuſcoque impoſitus, uterque eidem tunicæ reticulatæ fuſcæque incluſus. Folia radicalia circiter quatuor, enſiformia, acuta, integerrima, valde plicata, erecta, a ſex ad decem uncias longa unamque vel & duas uncias lata, utrinque glabra, & ad lentem tota punctis pellucidis referta ad orasque villoſula; omnia baſi comprehenſa vaginis paucis radicalibus, cylindricis, glabris, albidis cum oris ſæpe fuſcis, interioribus longioribus, modoque bi-vel triuncialibus, modo ſemipedalibus. Scapi uniflori, foliis breviores, triquetri, glabri, tenelli, debiles, inter folia ſucceſſive prodeuntes pluſculi, ab iisdem ſuſtentati & erecti, albi, in quibus nullam bracteam aut ſpatham obſervavi. Flores ſuaveolentes, petalis luteis facie, dorſo viridulis, uncialibus; antheris flavis; ſtylo ex flavo pallente; germine biunciali. Quantumvis quotannis copioſe floreat, unicum huc usque ante quatuor annos fructum perfecit; quem dum ad pictorem, qui depingeret, miſeram, poſt triduum demum remiſſum ſic inveni collapſum imminutumque, ut loculamenta diſtinguere non potuerim. Pulpa erat aquea & grate acidi ſaporis. Semina in fructu vegeto pellucebant.

CAL. nullus.

Cor. Petala ſex, ſupera, lanceolata, acuminata, plana, obſcure lineata, patentiſſima; tria interiora pauxillo anguſtiora.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, breviſſima, erecta. Antheræ lineares, erectæ, longæ.

Pist. Germen inferum, triquetrum, longiſſimum. Stylus filiformis, incraſſatus, villoſus, erectus, antheras ſuperans. Stigma ſimplex, acutum.

Per. ſubovatum, utrinque acutum, pulpoſum.

Sem. plura.

## DLXXII.

## POLYANTHES PYGMAEA.

Habitu diverſiſſima a Polyanthe tuberoſa, charactere tamen generico cum hac tantopere convenit, ut genere ſeparare ab eadem non fuerim auſus. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens Octobri & Novembri, fructum ferens Februario. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, avellanæ magnitudine, foris fuſceſcens. Folia radicalia duo, oppoſita, elongate lanceolata, acuta, integerrima, ad oras per lentem minutiſſime cartilagineo-crenulata, nitida, baſi anguſtata in petiolum canaliculatum & purpuraſcentem, erecta, firmula, tres quatuorve uncias longa dimidiamque lata. Scapus centralis, erectus, glaber, debilis, albidus, foliis duplo brevior, laxe racemoſus. Pedicelli plus minus quinque, uniflori, erecti, albidi, breviusculi, bracteola minutiſſima albida ſeſſilique ſuffulti. Flores ſuaveolentes, unciales, erectiusculi. Corollæ tubus albet; limbus purpuraſcit. Antheræ ſanguineæ

guineæ ſunt, & filamentis multoties breviores. Pori nectariferi in germine nulli. Capſulæ erectæ. Semina atra.

CAL. nullus.

COR. monopetala, infera. Tubus anguſte infundibuliformis, longus, parumper incurvus. Limbus tubo triplo brevior, ſexfidus; laciniis lanceolatis, acutulis, planis, æqualibus, revoluto-patentiſſimis.

STAM. Filamenta ſex, filiformia, erectiuscula, fauci corollæ ante lacinias inſerta, alterna tria longiora fere corollam æquantia. Antheræ ovatæ, erectiusculæ.

PIST. Germen ſuperum, oblongum, ſexſulcatum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine corollæ. Stigma obtuſum, glandulis globoſis & ſtipitatis obſeſſum.

PER. Capſula ovata, triſulcata, trilocularis, trivalvis.

SEM. pauca.

## DLXXIII.

## LACHENALIA ANGUSTIFOLIA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos a Februario ad Aprilem; tota glabra. Bulbus ſubrotundus, avellana minor. Folia radicalia plura, ſæpe ad decem, ſubulata, ſemiteretia, vix canaliculata, acutula, læte virentia, immaculata, a ſeptem ad undecim uncias longa, ſic flaccida, ut tota terræ incumbant. Scapus teres, erectus, ſæpe etiam flexuoſus, foliis paulo brevior, ex viridi

pallens & maculis ſordide rubris denſe adſperſus. Racemus cylindricus, compactus, digitum craſſus, duas tresve uncias longus, erectus. Flores numeroſi, parvi, ſuaveolentes. Pedicelli erecti, breves, albidi. Bracteæ ſeſſiles, ex lata baſi acuminatæ, concavæ, patentiſſimæ, albidæ, ſummæ ſteriles. Petala nivea cum macula ſuperne utrinque viridi vel fuſca. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ miniatæ cum polline flavo. Germen viret. Capſula cinerea. Semina atra.

CAL. nullus.

COR. hexapetala, campanulato-patentiſſima. Petala oblonga, obtuſa, plana. Tria exteriora baſi inter ſe & cum interioribus connata, his ad unam tertiam breviora, infra apicem calloſula, ſummo hic fornicato.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, patula, petalis interioribus paulo breviora. Antheræ oblongæ, didymæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, triquetrum, ſuperum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatulum.

PER. Capſula ovata, obtuſa, triquetra, trilocularis, trivalvis.

SEM. unum alterumve, ovatum, acutum, nitidum.

## DLXXIV.

### LACHENALIA HYACINTHOIDES.

Hyacinthus orchiodes. *Jacq. hort. vol.* 2. *pag.* 83. *tab.* 178.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret a Februario ad Aprilem; tota glabra. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magni-

magnitudine. Folia radicalia plura, ſubulata, canaliculata, acutula, immaculata, flaccida, a ſex ad duodecim uncias longa. Scapus ſemipedalis, teres, erectiuſculus, ex ſanguineo maculatus. Racemus erectus, pollice craſſior, vix biuncialis. Flores plurimi, ſuaveolentes, albidi. Et reliqua uti in præcedente; a qua imprimis differt ſpica breviore & craſſiore, foliiſque canaliculatis.

## DLXXV.

### LACHENALIA GLAUCINA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Martio & Aprili. Fructeſcit Junio. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, tunica fuſca tectus, avellana ſæpe minor. Folia radicalia duo, oppoſita, acutula, integerrima, immaculata, craſſula, baſi vaginante concava, patentia, quatuor vel quinque uncias longa, quorum alterum tres quartas unciæ partes latum & planum eſt, alterum duplo anguſtius & ſuperne concavum. Scapus una cum racemo ſemipedalis, teres, fere calamum craſſus, flexuoſus, erectus, nitidus, punctis rubris obſoletis adſperſus. Flores plures, patuli, odore gratiſſimo præditi. Pedicelli ſic breves, ut flores videantur ſeſſiles. Bracteæ ſeſſiles, acuminatæ, concavæ, pallidæ, parvæ, ſummæ approximatæ & ſteriles. Petala coloris ſordentis, albida cum ſuffuſo magis minusve cæruleo aut glauco, rarius in quibusdam ejusdem racemi floribus purpuraſcentia. Exteriora ad apices calloſos flavopurpurea. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ flavent. Capſula glabra, fuſceſcens, petalis emarcidis circumdata. Semina atra, nitida.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, obtuſa, concava, baſi leviter inter ſe & cum interioribus connata, apice calloſa, ſummo fornicato. Interiora cuneiformia, rotundata, plana, non calloſa, ſuperne patentia, exterioribus ad unam tertiam longiora.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, declinatula, petalis breviora. Antheræ, oblongæ, erectæ.

Pist. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, ſitu ſtaminum, quibus paulo longior. Stigma ſubcapitatum, trifidum.

Per. Capſula oblonga, triſulcata, obtuſa cum mucrone innocuo, trilocularis, trivalvis; valvulis breviter mucronatis.

Sem. pluscula, pyriformia.

## DLXXVI.

### LACHENALIA RUBIDA.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Novembri. Tota glabra. Bulbus oblongus, foris fuſceſcens, craſſe & ſpongioſe tunicatus. Folia radicalia duo, oppoſita, elongate ſublanceolata, baſi canaliculato-conniventia, acuta, craſſula, integerrima, facie virentia maculisque ferrugineis ſubrotundis ſparſisque variegata, dorſo pallidius viridia & immaculata cum ſola infima parte ſanguineo-punctata, ſemipedalia, erectiuſcula, altero unciam lato, altero duplo anguſtiore. Scapus foliis altior, teres, erectus, penna columbina craſſior, viridis, ad medium usque maculis ſanguineis variegatus, ſuperne racemoſus & trique-

triquetrus. Pedunculi plus minus octo, breves, patuli, orti ex cavitate formata a bracteola ſubrotunda acuta patentiſſima pallidaque. Bracteæ ſummæ ſteriles. Flores penduli, unciales, inodori. Petala exteriora roſea & ad apicem virentia. Interiora roſea cum oris albidis & lineola infra apicem viridi. Filamenta albida. Germen pallide flavens. Stylus albus & ſuperne purpuraſcens.

CAL. nullus.

COR. hexapetala, tubuloſa, incurvula, inferne obtuſe triangularis. Petala tria exteriora oblonga, obtuſa, canaliculato-concava; quorum ſuperius baſi gibboſum & apice calloſe fornicatum. Tria interiora elongate cuneiformia, rotundata, concava, erecta cum apice patulo, exterioribus longiora, cum iisdem baſi connata, quorum infimum duobus aliis paulo brevius.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, baſibus petalorum innata, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ovatum, obtuſum, triquetrum, ſexſulcatum. Stylus filiformis, erectus, petalis longior. Stigma triquetrum.

## DLXXVII.

## LACHENALIA UNICOLOR.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Martio. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, albidus, avellana duplo minor. Folia radicalia duo, oppoſita, lineari-lanceolata, acutula, craſſula, immaculata, facie ſtriata & ſuperne puſtulata, dorſo nitida, ad oras

per

per lentem minutiſſime cartilagineo-eroſula, baſi canaliculata, cæterum plana, patentiſſima. Scapus teres, calamum craſſus, immaculatus, nitidus, erectus, foliis fere duplo longior. Flores racemoſi, plurimi, ſubodori, patentiſſimi vel ſubnutantes in pedicellis erectiuſculis. Bracteæ ſeſſiles, concavæ, acutæ, parvæ, virideſcentes; ſummæ ſteriles & comoſæ. Petala omnia, filamenta, ſtylus & pedunculi uniformiter ſaturate purpuraſcunt. Calli petalorum ex purpureo fuſceſcunt. Antheræ flavent. Germen viret.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, obtuſa, concava, infra apicem calloſa & forniculata, ipſa baſi planiuſcula inter ſe & cum interioribus connata. Tria interiora cuneiformia, rotundata, apice patula, exterioribus paulo longiora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, leviter declinata, petalis longiora. Antheræ erectæ.

PIST. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum. Stylus figura, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma obſolete trifidum.

## DLXXVIII.

### LACHENALIA QUADRICOLOR.

Ex Promontorio bonæ Spei. Decembri & Januario apud nos floret. Tota glabra. Bulbus ovatus, fuſceſcens, avellana paulo major. Folia radicalia duo, oppoſita, acutula, integerrima, utrinque virentia, facie maculis fuſceſcentibus obſcure adſperſa, inferne canali-

culata

culata & erecta, ſupra medietatem reclinata, alterum longius plus minus octounciale & fere unciam latum. Scapus teres, calamum craſſus, nitidus, ex viridi pallens, immaculatus, erectiusculus, foliis paulo altior. Racemus laxus. Flores plus minus ſeni, diſtantes, breviter pedicellati, penduli, inodori, ſpecioſi, fere ſescunciales. Bracteæ ſeſſiles, acutæ, concavæ, minutæ, in ſummitate racemi magis elongatæ & ſteriles. Petala exteriora rubra, ſupra medium flaveſcentia, apice viridia. Interiora pallide virentia, inferne rubella, ſuperne atropurpurea. Germen viride. Stylus & filamenta alba.

CAL. nullus.

COR. hexapetala, tubuloſa, obſoletius triquetra, baſi obtuſa. Petala tria exteriora oblonga, concava, baſi inter ſe connata, obtuſa, erecta; ſummo ad apicem calloſo & fornicato. Tria interiora cuneiformia, parum concava, apice rotundata, integerrima, liberrima inter ſe & ab exterioribus, quibus ad unam tertiam fere longiora, erecta cum apicibus patulis.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis breviora. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſuperum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus figura & longitudine ſtaminum. Stigma ſubtrifidum, obtuſum.

## DLXXIX.

## LACHENALIA PURPUROCAERULEA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Februario & Martio. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, depreſſus, avellanæ

lanæ magnitudine, albus. Folia radicalia duo, oppoſita, integerrima, acuta, nitida, immaculata, ſuperne in facie puſtulata, viridia, erecta vel ſemireclinata, inferne canaliculata, cæterum plana, dimidium pedem longa, tres quartas unciæ partes lata. Scapus teres, foliis fere duplo longior, calamum craſſus, flexuoſus, erectus, firmulus, immaculatus. Racemus terminalis, cylindricus, longus. Pedicelli breves, erecti, pallidi. Bracteæ ſubrotundæ, acutæ, late ſeſſiles, concavæ, pallidæ; ſummæ ſteriles. Flores numeroſi, odorem cratægi oxyacanthæ fortem ſpirantes. Corolla inferne cærulea, ſuperne eſt purpurea. Calli ſordide ex purpureo virent. Filamenta & ſtylus purpuraſcunt. Antheræ ſunt luteæ. Germen viret.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, obtuſa, parumper concava, patulo-erecta, baſi inter ſe connata in tubum brevem, infra apicem ſubtus callo oblongo gibboſa. Tria interiora cuneiformia, rotundata, plana, nullo callo donata, inferne erecta, cæterum reflexo-patentiſſima, paulo longiora exterioribus, quorum baſi inſeruntur.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, ſuperne leviter arcuata, petalis longiora. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, triquetrus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſulum.

DLXXX.

## DLXXX.

## LACHENALIA PURPUREA.

Ex Promontorio bonæ Spei; floret apud nos Decembri & Januario; tota glabra & immaculata. Bulbus ſubrotundus, magnitudine avellanæ, albus, tunica fuſca veſtitus. Folia radicalia duo, lineari-lanceolata, acutula, nitida, craſſula, ad oras per lentem cartilagineo-crenulata, reclinata, ad ſummum ſemipedalia unciamque lata. Scapus teres, foliis longior, erectiuſculus, pennæ columbinæ craſſitie, viridis. Flores racemoſi, numeroſi, inodori, horizontales. Racemus tandem triuncialis & ultra, erectus, bracteis ſterilibus terminatus. Bracteæ ad pedunculos ovato-acuminatæ, ſeſſiles, concavæ, patentiſſimæ, albæ. Pedunculi erectiusculi, bracteis paulo longiores. Petala exteriora alba cum apicibus virentibus. Interiora ex violaceo purpurea cum faſcia infra apicem longitudinali ſaturatiore. Filamenta cærulea. Antheræ ex badio ſordide pallentes. Stylus purpuraſcens.

CAL. nullus.

COR. tubuloſa. Petala tria exteriora oblonga, obtuſa, concava, erecta, apice depreſſo calloſo & fornicato. Tria interiora paulo longiora, cuneiformia, erecta, acutula, parumper conniventia, baſi concreta cum interioribus in corollæ fundum rotundatulum nec planum.

STAM Filamenta ſex, ſubulata, declinata, petalis fere duplo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

Pist. Germen ſuperum, ovale, obtuſum, triquetrum. Stylus filiformis, longitudine & ſitu ſtaminum.

## DLXXXI.

## LACHENALIA LILIFLORA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Martio & Aprili. Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, avellana paulo major, foris fuſceſcens. Folia radicalia duo, oppoſita, baſi canaliculata mutuo amplexantia, reclinata, obtuſula, integerrima, ſaturate virentia, immaculata, facie tota puſtulis convexo-planis denſe obſita, quatuor vel quinque uncias longa, altero fere unciam lato, altero multo anguſtiore. Scapus teres, penna columbina paulo craſſior, foliis paulo altior, immaculatus, flexuoſus, erectus, pallide virens. Racemus multiflorus, erectus. Pedunculi duas tresve lineas longi, erecti, pallidi; ſuffulti bractea ex lata baſi acuminata, ſeſſili, concava, erectiuscula, cum virore pallente, parva. Flores inodori, erectiusculi, figura ſua parvum lilium referentes. Corolla uniformiter alba cum ſolis callis ſubvirentibus. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ ſunt ochroleucæ. Germen viret.

Cal. nullus.

Cor. hexapetala, baſi leviter connata, inferne infundibuliformis, dein patentiſſima. Petala tria exteriora late linearia, plana, obtuſa, ad dorſum infra apicem callo oblongo obſoleto notata. Tria interiora anguſte cuneiformia, emarginata, exterioribus longiora & latiora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, baſi corollæ inſerta, erecto-patula, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, didymæ, erectæ.
PIST. Germen oblongum, triquetrum, ſuperum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

## DLXXXII.

## LACHENALIA TIGRINA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Octobri & Novembri. Tota glabra. Bulbus oblongus, tunicatus, uncialis. Folia duo, rariſſime tria, a quinque ad novem uncias longa, baſi longe mutuo amplexantia, dein elongate lanceolata, acuta, integerrima, erecta, ſuperne patentia, virentia maculisque ferrugineis magis minusve utrinque adſperſa. Scapus inferne teres, cæterum angulatus, erectus, calamum craſſus, longitudine foliorum, ex pallido virens cum maculis purpureis, deſinens in racemum multiflorum. Bracteæ ad pedunculos ſubrotundæ, acutæ, ſeſſiles, concavæ, pallidæ, parvæ. Summæ denſe aggregatæ & ſteriles. Pedunculi breves, nutantes, albi. Flores inodori, penduli, unciales. Petala inferne rubra, cæterum pallida cum linea media dorſali rubra, punctisque rubris denſiſſime notata.

CAL. nullus.
COR. Petala ſex. Exteriora tria linearia, obtuſa, parumper concava, erecta, in decurſu omnia ad dorſum corollæ flexa, petalis interioribus breviora, intermedio ad apicem fornicato. Tria interiora

ra cuneiformia, erecta, ſupra exteriora patula, obtuſa, inter ſe & cum exterioribus ad baſin leviſſime connata.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, baſi petalorum inſerta, erecta, longitudine corollæ. Antheræ erectæ.

PIST. Germen ovatum, triquetrum, obtuſum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum.

## DLXXXIII.

## LACHENALIA ISOPETALA.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Martio & Aprili; tota glabra. Bulbus ſubrotundus, foris fuſceſcens, avellana major. Folia radicalia duo, oppoſita, baſi canaliculata & mutuo amplexantia, inferne erecta, dein reclinata, viridia, immaculata, craſſula, ſtriatula, obtuſula, integerrima, decem plus minus uncias longa, vix unciam lata. Scapus teres, pennam columbinam craſſus, flexuoſus, erectiuſculus, plus minus una cum racemo pedalis. Racemus erectus, multiflorus, longus. Pedunculi bilineares, parumper diſtantes, erectiusculi. Bracteæ ovatæ, acutæ, late ſeſſiles, concavæ, erectiusculæ, virideſcentes; ſummæ paucæ ſteriles, ſæpe vix ulla. Flores inodori, erectiusculi, coloris ſordidi. Petala ſordide pallent cum apice fuſco-ſanguineo. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ ſunt ochroleucæ. Germen viret.

CAL. nullus.

COR.

Cor. hexapetala, tubuloſa, obſolete & obtuſe triangularis, tota erecta. Petala tria exteriora oblonga, concava, infra apicem ſubtus callo depreſſo gibboſa. Tria interiora ſubcuneiformia, emarginata, callo deſtituta, plana, exterioribus vix longiora.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ.

Pist. Germen ovatum, triquetrum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

Per. & Sem. . . .

## DLXXXIV.

## LACHENALIA LANCEAEFOLIA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, florens apud nos a Junio ad Auguſtum, tota glabra & inodora. Bulbus ovatus, tunicatus, ſescunciam diametro æquans, externe fuſcus. Folia radicalia plura, lanceolato-acuminata, integerrima, plana cum ſolis apicibus ſubcanaliculatis, carnoſula, firmula, utrinque pallide & ſine nitore virentia, ſupra maculis magnis ſordideque atrovirentibus tota picta, inferiora in orbem proſtrata, interiora juniora erecta, majora quinque uncias longa & ſescunciam lata. Scapi axillares, ſolitarii, foliis longiores, teretes, graciles, inferne obſolete maculati, proſtrati, racemoſi, multiflori. Pedicelli uniflori, ſemunciales, cum in flore tum in fructu patentiſſimi, in flore purpurei, dein virides, bracteola ſuffulti minutiſſima. Flores parvi, petalis utrinque ſordide virentibus cum punctis minutis ſanguineis; filamentis baſi albis, cæterum rubris; antheris flaveſcen-

veſcen-

veſcentibus; ſtylo rubro, & ſuperne albo. Fructus figura quam maxime diſſimilis a germine, ſæpius ſine omni ſulco teres. Semina pauciſſima ad maturitatem perveniunt; ſæpe unicum, totam tunc capſulam implens, veluti unilocularem, propter deſtructa tunc ab aucto ſemine diſſepimenta. Hinc capſula rariſſime talis eſt, qualem in charactere generico deſcribam, & qualis ex germinis ſtructura ſemper eſſe deberet. Bracteæ ſteriles in hac ſpecie, uti & in Lachenalia patula, contra morem congenerum nullæ racemum terminant.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, oblonga, obtuſa, apice inflexo & calloſo fornicatula, omnia æqualia & ſimillima, tria exteriora inferne connata cum tribus interioribus, ſupra concretionem omnia primum patentiſſima, dein reflexa; tandem iterum erecta & emarcida perſiſtentia in fructu.

STAM. Filamenta ſex, ex baſi petalorum orta, ſubulata, erecta, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſuperum, pedicellatum, late conicum, obtuſiſſimum, ſexſulcatum. Stylus ſubulatus, ſexſulcatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obſolete trifidum, muricatum.

PER. Capſula oblonga, obtuſiſſima, triloba, ſexſulcata, longitudine corollæ, trilocularis, trivalvis.

SEM. in quolibet loculamento gemina, oblonga, teretia.

DLXXXV.

## LACHENALIA PUSILLA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Septembri & Octobri. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, avellana minor, tunica fuſca tectus, ad unam alteramve unciam profunde hærens. Folia ſæpius quatuor, duas vel tres uncias longa, vix dimidiam lata, infra terram canaliculata & mutuo amplexantia, ſupra terram anguſte oblonga, acutula, integerrima, craſſula, viridia vel ſordide ſanguinea, facie maculis fuſcis variegata, patula. Scapus teres, niveus cum maculis obſolete roſeis, vix pennam columbinam craſſus, ſubterraneus, ſupra terram in ſinu foliorum contracte racemoſus & multiflorus, ut videantur flores umbellati. Pedicelli breves, erecti, nivei, bracteola ſuffulti ovato-acuminata concava erecta niveaque. Flores erecti, unciales. Petala nivea cum faſcia dorſali virente. Corollæ baſis connata aut una aut duplice macula cærulea notatur. Antheræ flavent.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, linearia, obtuſa, ſubcanaliculata, erecta; tria alterna exteriora ad apicem calloſe fornicata, baſi inter ſe & cum exterioribus connata, breviora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis ad unam tertiam longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, obverſe ovatum, trilobatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, ſubtrifidum.

DLXXXVI.

## DLXXXVI.

## ERIOSPERMUM LANCEAEFOLIUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens a Septembri ad Novembrim, & brevi fructum perficiens. Novo huic mihi viſo generi novum nomen daturus, a ſeminibus lanatis, nomen derivavi. Radix eſt tuber carnoſum, plus minus pugni magnitudine, ſubrotundum magis minusve, inæquale, foris pallide fuſceſcens cum pauco ſæpe ſuffuſo rubore, intus rubeſcens, fibras longas undique emittens. Folium radicale unum aliudve ex eodem tubere, ſed ad quemlibet ſcapum duntaxat unicum, ſcapo paulo ſerius prodiens, longe lanceolatum, integerrimum, acutum vel obtuſum, coriaceum, multinervium, firmulum, erectum, baſi connivens, plus minus ſemipedale, unam alteramve unciam latum; ſuffultum petiolo compreſſulo, rubro, pollicari aut ultra. Scapus teres, gracilis, erectus, pedalis vel altior, baſi incluſus vaginæ unciali & ſtriatæ folii parvi concavi acuti & patentis, abiens in racemum erectum plus quam ſemipedalem. Pedicelli uniflori, graciles, unciales vel triplo breviores, patuli, numeroſi. Bracteæ ovatæ, acutæ, concavæ, pallidæ, minutæ, ad pedunculos ſubaxillares. Petala ex flavo albida cum faſcia longitudinali media utrinque ex purpureo virente. Filamenta albent. Antheræ flavent. Tota planta glabra eſt.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex, conniventibus & ſubcarinatis apicibus patula. Tria exteriora ovata, acuta, integerrima, patentiuſcula. Tria interio-

ra

ra obverſe ovata, acutula, ſuperne ad oras crenulata, paulo minora, erecta.

STAM. Filamenta ſex, lanceolata, compreſſo-plana, acuta, erecta, apicibus conniventia, æqualia, petalis duplo breviora. Antheræ oblongæ, didymæ.

PIST. Germen ſuperum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſubtrifidum, breviter muricatum.

PER. Capſula ſubrotunda vel magis oblonga, triquetra, trilocularis, trivalvis; valvulis oblongis, obtuſis, concavis, una cum petalis nunc emarcidis in ſtellam patentibus.

SEM. pauca, oblonga, undique pappo lanato obducta.

## DLXXXVII.

ERIOSPERMUM LATIFOLIUM.

Ornithogalum capenſe. *Linn. ſyſt. pag.* 328.

Ornithogalum africanum, plantaginis roſeæ folio, radice tuberoſa. *Comm. hort. vol.* 2. *pag.* 175. *tab.* 88.

Ornithogalo affinis, radice tuberoſa, cyclaminis folio, flore pallide cæruleo. *Breyn. cent. pag.* 93. *tab.* 41. *Rudb. elys. vol.* 1. *pag.* 138. *fig.* 14.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos a Septembri ad Novembrim. Radix eſt tuber ſubrotundum, informe, pugni vel & capitis infantis magnitudine, foris fuſcum, intus carnoſum & ſaturate ſanguineum, ſaporis adſtringentis, undique fibrillas radicales emittens.

Folia pauca ex tubere majori, ex minori etiam unicum, latiſſime ſive ex ſubrotundo ovatum, acutum, baſi connivens, glabrum, coriaceum, erectiuſculum, firmum, ſtriatum, ad lentem utrinque punctatum, plus minus triunciale cum petiolo tereti & unciali. Scapus unus alterve, ſesquipedalis vel altior, teres, gracilis, erectus, glaber, ſuperne laxe racemoſus. Pedicelli graciles, uniflori, duas tresve uncias longi, adſcendentes vel patuli, remotuli, bracteolis parvis ſuffulti. Petala albent cum faſcia media longitudinali utrinque ſanguinea, magis patula quam inÆrioſpermo lanceæfolio, quorum totus cæterum character convenit. Fructum hucusque non dedit.

## DLXXXVIII.

## ERIOSPERMUM PARVIFOLIUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos ab Auguſto ad Novembrim. Radix eſt tuber ſubrotundum, utrinque depreſſum, carnoſum, æquabile, foris fuſcum, intus album, ſubinſipidum, ſescuncialis diametri, dimidiam vel duas tertias unciæ partes craſſum, ex circumferentia fibras radicales albidas craſſulasque emittens. Folium ſæpius unicum, lanceolato-oblongum, acutulum, baſi canaliculatum & foris connivens, cæterum planum & utrinque glabrum, integerrimum, ad oras per lentem cartilagineo-ciliatulum, erectum, biunciale cum petiolo tereti villoſulo & unciali. Scapus ante folia unus alterve, teres, gracilis, glaber, de centro tuberis egreſſus, erectus, ab octo ad duodecim uncias longus, vireſcens, baſi incluſus vaginis duabus brevibus acutis & apice purpuraſcentibus, plus quam ultra

medie-

medietatem laxe racemoſus. Pedunculi filiformes, uniflori, patentiſſimi, unciales, glabri, bracteola minutiſſima ſuffulti. Flores parvi, erecti. Petala albida cum linea dorſali longitudinali media virente, punctisque ferrugineis maculata. Filamenta & piſtillum albent. Antheræ flavent.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, oblonga, æqualia, obtuſa, concava. Tria exteriora baſi erecta, cæterum patentiſſima, integerrima. Tria interiora ſuperne crenulata, erecta.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, compreſſula, petalis paulo breviora, erecta; tria alterna longiora. Antheræ oblongæ, ſubdidymæ, erectæ.

PIST. Germen ſuperum, ovatum, ſubtriquetrum. Stylus filiformis, erectus, fere longitudine ſtaminum. Stigma ſubtrifidum, papilloſum.

## DLXXXIX.

## ORNITHOGALUM FLAVISSIMUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos a Majo ad Julium. Elegans & totum glabrum. Bulbus tunicatus, ſubrotundus, magnitudine avellanæ. Folia radicalia plura, lanceolata, acuta, ad oras per lentem cartilagineo-hirtula, craſſula, coriacea, ſtriatula, baſi canaliculata, cæterum planiuscula, plus minus ſemipedem longa & unciam lata, pleraque patentiſſima. Scapus teres, pedalis vel ſes-

 qui-

quipedalis, calamum craſſus, flexuoſus, erectus, in racemum amplum & ſpecioſum terminatus. Flores numeroſi, inodori. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, inferiores ſescunciales, ſuperiores ſucceſſive breviores, erectæ. Pedunculi teretes, ſescunciales, erectiuſculi vel patuli, in frucru erecti. Petala tota flaviſſima, immaculata, lanceolata, acuta, patentiſſima, plana, tria alterna anguſtiora. Filamenta ſex, petalis triplo breviora, patula, inferne alba & compreſſula, ſuperne flava, omnia baſi latiora, ſed alterna tria manifeſte marginata. Antheræ oblongæ, incumbentes, ochroleucæ. Germen ovatum, triſulcatum, atrovirens. Stylus craſſus, breviſſimus. Stigma capitatum, trilobum, villoſulum. Capſula ovata. Semina plura.

## DXC.

## ORNITHOGALUM LACTEUM.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos a Majo ad Julium. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, albidus, ſescuncialis diametri. Folia radicalia plura, plus minus decem, in orbem ſita, baſi mutuo amplexantia, verſus apicem ad oras involuta, utrinque glabra, ad oras denſis albisque villis ciliata, inferne erectiuſcula, ſuperne reclinata, plus minus ſemipedem longa, unciam lata. Scapus teres, calamo craſſior, glaber, flexuoſus, erectus, bipedalis, racemo denſo erecto tandemque fere pedali terminatus, in aliis tantum ſemipedali. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, concavæ, erectiuſculæ, albidæ, pedunculo duplo breviores. Pedunculi erectiusculi, fere ſescunciales. Flores inodori, diametri ſescuncialis. Petala ſex, lanceolata, obtuſula, patentiſ-

tentiſſima, tota vere lactea, alterna tria paulo anguſtiora. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis ad unam tertiam breviora, alba, tria alterna ad ipſam baſin utrinque breviter marginata. Antheræ oblongæ, obtuſæ, incumbentes, ſulphureæ. Germen oblongum, triſulcatum, flaveſcens. Stylus filiformis, triſulcatus, erectus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, ſubtrifidum, flaveſcens. Petala erecta, arida quidem, ſed adhuc lactea, in fructu perſtant; qui eſt capſula oblonga, triquetra, obtuſa, ſtylo mucronata, cineraſcens, longitudine corollæ, trilocularis, trivalvis. Semina plurima, oblonga, angulata, rugoſa, atra.

## DXCI.

## ORNITHOGALUM COARCTATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Junio. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, tunicatus, avellana duplo major. Folia radicalia tria vel quatuor, ſublinearia, acuta, integerrima, canaliculata, erectiuſcula, ſuperne declinata, viridia, longiora fere pedalia. Scapus teres, erectus, in racemum oblongum terminatus, ſic foliis paulo altior. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, concavæ, ſcarioſæ, erectiuſculæ, albidæ, ſemunciales. Pedunculi plus minus triginta, ſescunciales, in flore erectiusculi, in fructu erectiſſimi racemum coarctatum formantes. Flores inodori, baſi campanulati, dein patentes. Petala lanceolata, obtuſa, utrinque nivea cum ungue ſordide luteo, tria alterna paulo anguſtiora. Filamenta ſubulata, erecta, petalis duplo breviora, alba; tria alterna ad baſin utrinque in membranam excurrentia. Antheræ

theræ oblongæ, erectæ, flavæ. Germen ovatum, triquetrum, ſature ex luteo ſordens. Stylus erectus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum, trifidum, villoſum. Capſula ovata, erecta, acuta, triloba, trilocularis, trivalvis. Semina plurima, atra. Corolla in fructu erigitur, & ſcarioſa pallidaque perſiſtit. Totum glabrum eſt. Sic ſimile eſt Ornithogalo comoſo, ut primo intuitu florens pro eodem haberi poſſet. Differt autem pluribus momentis; 1) patria; 2) bulbo non ovato; 3) ſcapo magis multifloro, nec folia valde ſuperante; 4) pedunculis fructeſcentibus erectiſſimis, nec patulis; 5) petalis non patentiſſimis; 6) iisdem utrinque niveis, nec ſubtus virentibus; 7) filamentis alternis marginatis; 8) floreſcentia tardiore

## DXCII.

## ORNITHOGALUM ODORATUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Majo & Junio; totum glabrum. Bulbus tunicatus, foris fuſceſcens, ovato-ſubrotundus, diametro duas uncias æquans. Folia radicalia pluscula, ſublanceolato-linearia, acuta, integerrima, inferne canaliculata, ſuperne plana, craſſula, ſemipedalia, flaccida ut fere tota humi proſternantur. Scapus teres, ſuperne angulatus, erectus, calamum fere craſſus, viridis, una cum racemo longo fere bipedalis. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, unciales, brevi fuſceſcentes. Pedicelli plus minus quindecim, diſtantes, ſeſcunciales, patuli. Flores colore, ſtructura, magnitudine, quin ipſa ſuaveolentia adeo ſimiles ſunt floribus Ornithogali ſuaveolentis, a me in altero Collectaneorum volumine deſcripti, ut ex eadem planta decerpti videantur.

DXCIII.

DXCIII

## ORNITHOGALUM POLYPHYLLUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei ; florens apud nos Majo. Totum glabrum. Bulbus ovatus, fuſceſcens. Folia radicalia numeroſa, ex baſi latiuſcula linearia, acuta, integerrima, carnoſula, ſubtus teretia, antice ſubcanaliculata, erectiuſcula, anguſta, octo plus minus uncias longa. Scapus unus, alterve, teres, foliis craſſior, erectus, ſuperne racemoſus & angulatus, ſesquipedalis. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, virides, pedicellis paulo breviores. Pedicelli patuli, a ſeptem ad decem, unciales. Flores colore, magnitudine, ſtructura & ſuaveolentia cum Ornithogalo ſuaveolenti in volumine altero deſcripti conveniunt.

DXCIV.

## ORNITHOGALUM SECUNDUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Auguſto & Septembri. Bulbus ſubrotundus, albidus, tunicatus, avellanæ magnitudine. Folia demum ſub finem Octobris prodeunt, Decembri adulta, plura, erecta, a tribus ad quinque uncias longa, ſublinearia, acuto apice fornicatula, unam quartam unciæ partem lata, leviter canaliculata, ad oras cartilagineo-muricata, utrinque glabra. Scapus diu ante folia attollitur, teres, gracilis, erectus, glaber, purpuraſcens, rore glauco tectus, quatuor vel quinque uncias longus, deſinens in racemum

cemum triuncialem, ſubſexflorum, erectumque. Pedunculi ſecundi, erecti, uniflori, graciles, purpuraſcentes, ſuffulti bracteis ovato-acuminatis, erectis, brevibus, purpureis cum margine inferiori hyalino-albo. Petala ſex, oblonga, obtuſa, patentiſſima, apice villoſa, intus flava, foris alba, cum faſcia utrinque media ex purpureo ſordente; tria exteriora calloſe fornicata. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis breviora, compreſſa, verſus baſin ſucceſſive latiora, vireſcentia, omnia æqualia. Antheræ oblongæ, incumbentes, flavæ. Germen oblongum, triſulcatum, glabrum. Stylus filiformis, flaveſcens, erectus, ſtaminibus longior. Stigma penicilliforme, albidum.

## DXCV.

## ORNITHOGALUM FUSCATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Majo & Junio; totum glabrum. Bulbus ſubrotundus, avellana major, tunica fuſca veſtitus. Folia pluſcula, integerrima, acutula, ſuperne lateſcentia, craſſula, plus minus quadriuncialia, quatuor lineas plus minus lata, nitida, reclinata. Scapus teres, ſimplex, pennam columbinam craſſus, flexuoſus, erectus, ex fuſco ciueraſcens, ſemipedalis; deſinens in racemum laxum & a tribus ad quinque uncias longum. Pedicelli ſemunciales, erectiuſculi, ex fuſco pallentes; ſuffulti bracteis lanceolato-acuminatis, fere duplo brevioribus, concoloribus cum oris inferne albidis. Flores inodori. Petala oblonga, obtuſa, ſubæqualia, patentiſſima, ex rubello fuſceſcentia cum faſcia media utrinque viridi. Filamenta ſex, ſubulata, plana, erecta, petalis breviora, alba, quo-

rum

rum tria alterna multo latiora. Antheræ oblongæ, incumbentes, ſordide ochroleucæ cum polline flavo. Germen ſuperum, ſubrotundum, profunde trilobum. Stylus filiformis, triſulcatus, erectus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, ſubtrifidum, papilloſum. Capſula triloba, obtuſiſſima, baſi anguſtata, trilocularis, trivalvis, fuſceſcens. Semina pauca, rugoſa, ſcabra, nigra.

## DXCVI.

### ORNITHOGALUM PARADOXUM. *Tab.* 1.

Tubera ex Promontorio bonæ Spei plura transmiſſa fuerant, quæ quotannis Novembri cauliculos emittebant folioſos, in quibus fruſtra exſpectabamus flores, poſt aliquot hebdomadas iterum emarcidos. Tandem poſt tres annos, egreſſos ex tribus ollis vidimus ſcapos floriferos aphyllos, quos ad eadem cauliculorum tubera pertinere non poſſe credebamus, & hinc aut ollas eſſe alias, aut tubera eſſe alia immixta prioribus. At vero poſteaquam hi ſcapi ſine fructu perierant, tunc demum ex iisdem tuberibus enati ſupra dicti cauliculi ſteriles nos docuerunt, eandem plantam eſſe, & obtulerunt ſingulariſſimum vegetandi modum. Floret raro apud nos Septembri & Octobri. Radix tuber carnoſum, difforme, unciam aut ultra craſſum, fuſcum, perenne, fibras albidas ex circumferentia in terram demittens. Caulis herbaceus, ſterilis, a tribus ad quinque uncias longus, erectus, pennæ columbinæ craſſitie, una cum foliis lanatus pilis mollibus albidisque, baſi ruber, cæterum viridis; inferne ornatus foliolo vel ſtipula ſubrotunda, integerrima vel emarginata, amplexicauli, craſſa, rigidula,

patentiſſima, parva. Folia ſine ullo ordine ſparſa, linearia, acuta, petiolata, mollia; infima verticillata & plerumque ſimpliciſſima; reliqua furcato-multifida; unam alteramve unciam longa; quædam etiam terminalia. Scapus caule præcocior, aphyllus, erectus, uncialis, teres, pilis albis lanatus, racemoſus, plus minus ſeptemflorus. Bracteæ ſub pedicellis ovatæ, acutæ, parvæ, concavæ, papilloſæ. Pedunculi uniflori, breviſſimi. Flores erecti. Petala albida cum faſcia longitudinali media virente ſtriisque purpureis variegata. Antheræ luteæ.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, oblonga, acuta, concava, erecta, æqualia.

STAM. Filamenta ſex, ex baſi latiore & compreſſa ſubulata, petalis fere duplo breviora, alterna tria altius iisdem inſerta. Antheræ oblongæ, didymæ, dependentes.

PIST. Germen ſuperum, ovatum, ſexſulcatum, ſulcis alternis profundioribus. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, obtuſum.

PER. Capſula rotunda, . . .

SEM. plura.

## DXCVII.

## ANTHERICUM ROSTRATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Februario & Martio. Fructeſcit Auguſto & Septembri. Radix digitum minimum craſſa breviſque in plurimas ſolvitur fibras aurantiaco-fuſcas craſſas longasque.

gaſque. Caulis fruticoſus, brevis, digitum craſſus, foliorum reliquiis ſcaber, multiceps. Folia ſubulata, ſubteretia, pulpoſa, apice in mucronem innocuum terminata, ſeſſilia, approximata, numeroſa, glabra, glauca, a ſex ad decem uncias longa, calamum craſſa, interiora erecta, reliqua recurvata. Racemus ſubterminalis, teretiusculus, fere calamum craſſus, glaber, ſimplex, erectiusculus, tandem ſesquipedalis. Flores numeroſi, inodori, toti flavi. Pedicelli ſescunciales, patentiſſimi, bracteis membranaceis ovato-cuſpidatis ſuffulti. Petala lanceolato-oblonga, obtuſula, ſubtus linea longitudinali viridi notata, patentiſſima vel reflexa, æqualia. Filamenta barbata. Germen ſubrotundum, ſexſulcatum, glabrum, viride. Stigma trifidum. Capſula parva, ſubrotunda, triquetra, nigricans, glabra, trilocularis, trivalvis. Semina pauca, ſubovata, acuta, hinc convexa, inde angulata, nigricantia.

## DXCVIII.

### ANTHERICUM PUGIONIFORME.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Septembri & Octobri. Radix eſt tuber perenne, ſubrotundum, depreſſum, ſescuncialis diametri, fuſcum, fibras craſſas & fuſiformes ex ambitu emittens. Folia radicalia pluscula, annua, fere pedalia, erecta, pulpoſa, integerrima, baſi digitum craſſa, ſubtus teretia, antice canaliculata cum oris obtuſis, apice ſubulata, glabra, valde compreſſibilia & elaſtica, plena pulpa aquoſa, quæ ex avulſis partim brevi evaneſcit, partim etiam guttatim exſtillat, relicto pauciſſimo parenchymate cellu-

loſo albo, ut tunc fiſtuloſa & inania videantur. Scapus foliis paulo præcocior, ad hæc lateralis, baſi una cum his comprehenſa a ſtipulis vaginantibus brevibus & ex pallido viridi purpureoque variis, teres, glaber, calamo gracilior, erectus, debilis, ſolidus, ſimplex, pedalis, virens cum rore glauco, abiens in racemum tandem etiam pedalem. Pedicelli graciles, ſemunciales, glabri, ſparſi, numeroſi, in flore expanſo patentes, cæterum erecti; bractea ſuffulti lanceolato-lineari, acuminata, glabra, erecta, parva. Petala ſex, oblonga, obtuſa, plana, patentiſſima, lutea cum faſcia longitudinali media utrinque viridi. Filamenta ſubulata, patula, petalis breviora, flaveſcentia, circa medium omnia ex viridi-flavo denſe barbata. Antheræ oblongæ, flavæ. Germen ovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

## DXCIX.

## ANTHERICUM LONGISCAPUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos a Majo ad Auguſtum; ſempervirens & glabrum. Radix digitum & ultra craſſa, fuſca, multiceps. Caules breviſſimi, fere digitum craſſi, numeroſas fibras radicales in terram recta demittentes. Hinc ex una radice principe ceſpes veluti plurium plantarum exoritur, ex quibus folia aggregata plurima egrediuntur, ſcapique ſucceſſive prodeunt. Folia ſunt ſubulata, acuta, ſubtus convexa, ſupra plana, glauca, pulpoſa, baſi mutuo amplexantia & parumper canaliculata, ad oras ne vel minimum ſcabra, hac imprimis nota a foliis Antherici aſphodeloidis diverſiſſima,

firmula,

ſirmula, plus minus octo uncias longa, extima pauca patentiſſima, reliqua erecta. Scapi ſimplices, triquetri, baſi adſcendentes & calamum craſſi, dein erecti, ſirmi, glauci, ſesquipedales, terminatique inſuper in racemum tandem ipſum ſesquipedalem. Bracteæ ſubulatæ, breves, fuſceſcentes, baſi utrinque marginatæ membrana alba & ad oras lanato-ciliata. Pedunculi numeroſiſſimi, glabri, tres unciæ partes longi, virides, patentiſſimi, poſt flores deciduos, quibus necdum apud nos ullus fructus ſucceſſit, revoluti. Petala lanceolata, obtuſa, reflexo-patentiſſima, utrinque flava cum lineola media virente, alterna tria anguſtiora. Filamenta barbata, flaventia. Antheræ didymæ, erectæ, flaveſcentes. Stylus craſſus, erectus, flavus. Stigma ſimplex, acutum.

## DC.

## ANTHERICUM PRAEMORSUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apus nos floret Martio & Aprili. Totum glabrum. Radix tuber eſt carnoſum, difforme, præmorſum, fuſceſcens, ſuperne flaveſcens & tandem rubeſcens, fibris craſſis radicatum. Folia radicalia plura, diſticha, erecta, ſesquipedalia & ultra, digitum craſſa, ſubtriquetra, dorſo obtuſa, antice a baſi ad apicem usque canaliculata, lineata, baſibus vaginantibus & mutuo amplexantibus ad oras ex albo tenuiſſimeque membranacea, aquoſe pulpoſa, hinc facile compreſſibilia & elaſtica, ac ſi eſſent ſiſtuloſa & ſolo aëre repleta. Scapus ex centro foliorum attollitur erectus, teres, pulpoſus, calamum craſſus, qui, dum ad altitudinem foliorum pervenit, ſupra hæc ſucceſſive producitur in racemum tandem ſesquipedalem

pedalem ipſum & flexuoſum. Pedicelli numeroſiſſimi, uniflori, patentes, ſemunciales, bracteola ſuffulti minuta & ſcarioſa. Petala ſunt lutea cum linea longitudinali media virente, acutula, patentiſſima; tria alterna ovata & duplo latiora tribus reliquis lanceolatis. Filamenta omnia albida barbam gerunt ſulphuream. Germen viret. Stylus albescit.

## DCI.

### ANTHERICUM NUTANS.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Auguſto. Radix perennis & faſciculata conſtat ex tuberibus pluribus, teretibus, carnoſis, digitum craſſis, ad ſemipedem longis, ſordide flaveſcentibus. Folia radicalia plura, plus minus enſiformia, plana, acuminata, pulpoſa, craſſula, nitida, ad oras per lentem denticulis albidis aculeata minimis & vix ad tactum perceptibilibus, cæterum glabra, ſubtus nervoſe lineata, a quatuor ad octo uncias longa, dimidiam vel vix unciam lata. Scapus ex centro foliorum teres, pennæ columbinæ craſſitie, ſimpliciſſimus, erectus, ſesquipedalis, ſupra medium racemoſus. Pedicelli uniflori, ſemunciales, patentiſſimi, bracteolis minutis ſuffulti. Racemi apex cum pedunculis necdum elongatis ſemper nutat, imo ſæpe omnino ad ſcapum usque reflectitur. Flores inodori. Petala oblonga, obtuſa, ſuperne parumper concava, patentiſſima, ſulphurea cum lineola media vireſcente. Filamenta omnia barbata, petalis paulo breviora, iisdemque tota quanta concoloria. Antheræ luteæ. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, erectus, filamentis concolor. Stigma ſimplex, obtuſum.

DCII.

## ANTHERICUM UNDULATUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Octobri & Novembri. Totum glabrum. Radix perennis conſtat ex pluribus fibris faſciculatis, pennam columbinam craſſis, plures uncias longis, ex albo ſordentibus, teretibus. Folia plurima, radicalia, in orbem humi proſtrata, ſublinearia, acuta, integerrima, carinata, ſtriatula, membranacea, longiora decemuncialia. Scapus ex centro foliorum, teres, pennæ columbinæ craſſitie, bipedalis, erectus, inferne ad tactum parumper aſper, ſuperne laxe racemoſus, ramo & foliolo uno alterove auctus. Pedunculi teretes, ſemunciales, uniflori, circa medium geniculati, recurvatuli, ſuffulti bractea viridi lanceolato-lineari acuta duploque breviore. Flores inodori, diametri ſeſcuncialis. Petala tota nivea & patentiſſima, oblonga, longitudine æqualia, alterna tria plana & acutula, alia tria obtuſa undulata & paulo latiora. Filamenta filiformia, baſi & apice acuta, alba, erectiuſcula, petalis duplo breviora, tria alterna paulo longiora reliquis. Antheræ oblongæ, flavæ. Germen ſubrotundum, triquetrum, viride. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus longior, albus. Stigma obtuſum, ſubtrifidum.

DCIII.

## ANTHERICUM PILOSUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Februario & Martio. Bulbus eſt depreſſo-ſubrotundus, albus, avellanæ magni-

magnitudine. Folia plerumque tria, longe vaginantia, ſublanceolata, acutula, plana, flaccida, integerrima, utrinque piloſula & ſtriata, ad oras villoſa, vaginis ſtriatulis, vagina inferioris folii piloſula, aliorum glabris, infimum biunciale aut paulo longius & ad minus dimidiam unciam latum, ſuperiora quinqueuncialia & anguſtiora. Scapus teres, glaber, gracilis, erectus, parumper flexuoſus, vaginas foliorum cylindricas permeans. Racemus terminalis, erectus, laxus. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, ſcarioſæ, parvæ. Pedunculi unciales, uniflori, erectiusculi. Flores inodori, erecti. Petala ſex, tota alba, anguſte lanceolata, acuta, plana, patentiſſima; tria alterna paulo latiora & longiora. Filamenta ſex, ſubulata, æqualia, erecta, petalis duplo breviora, alba. Antheræ oblongæ, incumbentes, luteæ. Germen oblongum, triquetrum, viride, ſuperne luteum. Stylus filiformis, erectus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, trifidum. Capſula oblonga, acutula, teres, glabra, trilocularis, trivalvis, ſordide pallens. Semina numeroſa, minima, ovato-acuminata, fuſca.

## DCIV.

## ANTHERICUM BIPEDUNCULATUM.

Sponte creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens a Majo ad Auguſtum, fructeſcens Auguſto & Septembri. Totum glabrum & inodorum. Radix perennis, fasciculata ex tuberibus fuſiformibus, carnoſis, calamum craſſis, nigris, inque fibrillam gracilem & longam terminatis. Folia radicalia plura, ſubdiſticha, graminea, dorſo acuto carinata, lateribus conniventia, acuta, integerrima, ex glauco

co virentia, plus minus pedalia. Scapus teres, pennæ columbinæ craſſitie, tandem ſesquipedalis, erectiusculus, ſpathis paucis vagis uncialibus acutis ſeſſilibus erectisque veſtitus, ſuperne racemoſus & multiflorus. Pedunculi gemelli, rariſſime ſolitarii aut terni, bracteola breviore & acuta ſuffulti, ſemunciales, patuli in flore, in fructu erecti; quorum alter multo tardior demum elongatur, dum jam præcocior fructeſcit. Petala ſex, ſubcuneiformia, obtuſula, ſemuncialia, reflexo-patentiſſima, alba cum linea utrinque longitudinali media virente. Filamenta ſex, ſubulata, imberbia, æqualia, erecta, petalis paulo breviora, alba. Antheræ oblongæ, baſi ſagittatæ, erectæ, luteæ. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum, viride. Stylus filiformis, albus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſulum, trifidum. Capſula oblonga, alato-triquetra, obtuſa, fuſceſcens, trilocularis, trivalvis. Semina plura, oblonga, plana, tenuia, atra, nitida.

## DCV.

### ANTHERICUM EXUVIATUM. *Tab.* 14. *fig.* 2.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos rarius menſe Februario, fructum Auguſto maturaturum. Totum glabrum eſt, & odoris expers. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, ſordide ex flavo-fuſco pallens, diametri ſescuncialis. Vaginæ radicales ab unica ad ſex, membranaceæ, ſcarioſæ, canaliculatæ, albidæ, pellucidæ, nitidæ, ab una ad quatuor uncias longæ, ſtriis transverſis valde elevatis ſtriisque inter has longitudinalibus fuſceſcentibus eleganter variegatæ, exuvias ſerpentum quodammodo mentitæ, folia inferne ſcapumque

amplexantur, modo integræ, modo longitudinaliter ſiſſæ. Folia pauca, veluti juncea, ſubulata, acuta, ſoris convexa, intus magis minusve concava, glutinoſe carnoſo-pulpoſa, erecta, firmula, læte virentia, ſesquipedem vel & duos pedes alta. Scapus teres, erectus, nudus, pennæ columbinæ craſſitie, cum virore fuſceſcens, ſuperne racemoſus, foliis brevior. Racemus ſubovatus, erectus, laxior. Pedicelli patentes, ſemunciales, ſuffulti bracteola lanceolato-acuminata & brevi. Petala albida & ſubpellucida cum linea longitudinali media utrinque ex viridi purpurea, glaberrima. Filamenta albent. Antheræ ex flavo virent. Germen viret. Capſula glabra, coloris ſtraminei. Semina atra.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, lineari-lanceolata, acuta, carinata, falcatula, patentiſſima; tria alterna paulo latiora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, patula, imberbia, petalis paulo breviora. Antheræ oblongæ, didymæ, obtuſæ, erectæ.

PIST. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, obſolete triquetrus, ſtaminibus longior. Stigma capitatum, trifidum, villoſum.

PER. Capſula ovata, obtuſa, triangularis, trilocularis, trivalvis.

SEM. plura, oblonga, in membranam ſubrotundam alata, nitida.

## DCVI.

ANTHERICUM HISPIDUM. *Linn. ſyſt. pag.* 331 *Linn. ſpec. plant. pag.* 446.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario & Februario. Radix perennis conſtat ex fibris longis, craſſulis, ramoſis, ſordide albentibus, hic illic in tubera parva incraſſatis. Folia radicalia plerumque tria, carnoſo-pulpoſa, utrinque piloſa, ſtriatula, integerrima, acuta, linearia ſed ſuperiora verſus ſenſim anguſtata, ſive figura graminea, flaccida, hinc in terram proſtrata, pedem vel & ſesquipedem longa, vix lata ſemunciam, modo tota plana, modo hic illic plus minus concava; quorum unum interius ſemper brevius & anguſtius eſt. Scapus teres, pennæ columbinæ craſſitie, piloſus, erectiuſculus, ſemipedalis, ſuperne racemoſus. Flores fortiter odorati, plurimi. Pedicelli unciales, piloſi; in flore erecti, dein reflexi; ſuffulti bractea lanceolata, acuminata, piloſa, erecta, viridi, paulo breviore. Petala ex carneo alba cum faſcia longitudinali media viridi, obtuſa, patentiſſima, alterna tria exteriora anguſtiora & foris piloſa. Filamenta alba, ſubulata, tria alterna evidentius muricata. Antheræ profunde aurantiacæ, oblongæ, incumbentes, polline flavo. Germen ſubrotundum, ſexſulcatum, glabrum, viride. Stylus filiformis, triquetrus, erectus, longitudine ſtaminum, albus. Stigma capitatum.

## DCVII.

## ANTHERICUM LONGIFOLIUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. In tepidariis apud nos floret Martio & Aprili; ſed pedicellis perſiſtentibus omnes quotannis flores ſemper decidunt, ut nullum huc usque obtinuerimus fructum. Radix perennis conſtat ex faſciculo tuberum teretium, carnoſorum, albidorum, calamum craſſorum, unciam longorum, & ex intermixtis fibris flaveſcentibus. Folia radicalia plura, ab uno ad duos cum dimidio pedes longa, unam tertiam unciæ partem lata, debilia, flaccida inque terram proſtrata; pulpoſula, dorſo acuta, facie parum concava, hinc ſubtriquetra, utrinque glabra, nitida, ad oras pilis ciliata & ſcabriuscula. Scapi plures, longitudine & ſitu foliorum, ramoſi, flexuoſi, glabri, inferne teretes, ad flores triangulares, longiſſime racemoſi. Bracteæ ad pedicellos ovatæ, acutæ, erectæ. Pedicelli uniflori, teretes, virides, plus minus ſemunciales, in flore patuli, dein erecti. Petala ſex, anguſte lanceolata, acutula, æqualia, patentiſſima nec reflexa, albida cum faſcia utrinque longitudinali media ex purpureo ſordide virente. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, alba, omnia pilis carnoſis fere tota muricata, iisque tamen alterna tria magis longis. Antheræ flavæ. Germen ſubrotundum, triſulcatum, glabrum, ſuperum. Stylus filiformis, glaber, longitudine ſtaminum, albus. Stigma obtuſum, ſubtrifidum.

## DCVIII

ANTHERICUM FLEXIFOLIUM. *Linn. ſyſt. pag.* 331.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Martio & Aprili. Radix tuber carnoſum, ſubflaveſcens, fuſiforme, ſescunciam longum, ſæpe in duo crura diviſum, ad latus ſoboliferum. Folia plura, radicalia, ſubulata, acuta, infra medium flexuoſa, gracilia, debilia, hinc ſæpius procumbentia, juniora pilis vagis hirſuta, adulta plerumque glabra, plus minus pedalia. Scapus ad folia lateralis, teres, nitidus, erectus, ſuperne ramoſus, foliis longior. Rami alterni, erectiusculi, ſemipedales, racemoſe multiflori. Bracteæ ad pedunculos erectos brevesque minutæ, lanceolatæ, ſcarioſæ. Flores odoratiſſimi, æmuli heliotropio peruviano. Petala ſex, oblonga, obtuſa, in medio carinata, ſubæqualia, patentiſſima, alba cum linea media ex fuſco vireſcente, utrinque ad baſin duobus punctis viridibus confluentibus notata. Filamenta ſex, ſubulata, erectiuscula, imberbia, petalis breviora; ad lentem inferne ſubtus & ad oras villoſiſſima, atque abhinc ad apicem usque muricata. Antheræ oblongæ, incumbentes, flavæ. Germen oblongum, trilobum, glabrum, viride, ſuperne tribus poris melliferis inſtructum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma ſubrotundum, villoſum.

## DCIX.

ANTHERICUM FILIFOLIUM.

Creſcit apud Namaquas ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Aprili; totum glabrum. Bulbus ovatus, unciam longus, digitum

gitum craſſus, tunicatus, foris fuſcus. Folia radicalia plerumque tria, filiformia, ſemiteretia, acuta, nitida, baſi purpuraſcentia, cæterum viridia, magis minusve flexuoſa, reclinata, rigidula, longiora pedalia, una cum ſcapo intermedio ad baſin comprehenſa vagina una alterave ſcarioſa, pallida, transverſim ſtriata, plus minus ſemunciam longa, in planta florente fiſſa & ad latus abſcedente. Scapus teres, ſimplex, nitidus, flexuoſus, erectus, foliorum craſſitie & fere longitudine, inferne purpureus. Racemus terminalis, erectus. Flores inodori, plus minus ſeptem. Pedunculi vix ſemunciales, patuli, bractea ſuffulti lanceolato-acuminata. Petala ſex, oblonga, obtuſa, parumper concava, patentiſſima, albida cum linea utrinque longitudinali media virente; tria alterna latiora. Filamenta ſex, ſubulata, æqualia, imberbia, erecta, petalis duplo breviora, alba. Antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. Germen ſuperum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, adſcendens, albus, longitudine ſtaminum. Stigma ſubcapitatum, villoſum.

## DCX.

## ANTHERICUM PHYSODES.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Auguſto & Septembri; totum glabrum. Bulbus ſubrotundus, tunicatus, diametri ſescuncialis, purpuraſcens cum tunicæ extimæ tenuiſſmæ & fuſcæ adhærentibus fruſtis. Folia prodeunt poſt fructum maturum, ut Novembri demum perficiantur. Sunt quinque vel ſex, baſi mutuo amplexantia & canaliculata, cæterum plana, lanceolato-oblonga, acuta,

inte-

integerrima, erecta, ſubtiliter lineata, lucida, plerumque per unam alteramve plicam carinata, a ſex ad novem uncias longa, ab una ad ſexunciam lata. Scapus ante folia teres, nudus, fere pennæ columbinæ craſſitie, ex fuſco viridis, ſemipedalis, deſinens in racemum cylindricum quatuor vel quinque uncias longum erectumque. Bracteæ ad pedunculos parvæ, concavæ, truncatæ, albidæ. Pedunculi filiformes, vix unciales, numeroſi, patentiſſimi. Flores inodori. Petala lanceolata, acutula, patentiſſima, ſubæqualia, albida cum faſcia dorſali longitudinali ex purpureo fuſca. Filamenta ſex, alba, erecta, æqualia, petalis breviora, ex baſi anguſta & papillis cylindricis muricata lanceolata, triangulari-compreſſa, cryſtallino-papuloſa. Antheræ oblongæ, obtuſæ, ſulcatæ, ſubincumbentes, flavæ. Germen ovatum, triſulcatum, obtuſum, glabrum, album. Stylus filiformis, triſulcatus, erectus. Stigma obtuſum, trifidum, papilloſum. Capſula ovata, obtuſa, tribus ſuturis extantibus donata, coriacea, inflata, ſordide pallida, trilocularis, trivalvis, ob pondus pendula. Semina in quolibet loculamento duo, in alam ovatam explanata, ſcabra, atra.

## DCXI.

### ANTHERICUM PUSILLUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Auguſto & Septembri. Bulbus albus, ſubrotundus, fere magnitudine nucis juglandis, craſſe tunicatus. Folia poſt floreſcentiam peractam prodeunt plus minus duodecim, lanceolato-linearia, acutula, integerrima, plana, utrinque nitidiſſima, patula in orbem, plus minus triuncialia. Scapus filiformis,

formis, teres, inſerne villoſus, purpureo-ferrugineus, a ſescuncia ad quatuor uncias longus, debilis, hinc erectus ſi a vicinis ſuſtentetur, alias varie inflexus, aut etiam totus procumbens, ſuperne racemoſus. Pedunculi plurimi, filiformes, uniflori, ſuffulti bracteola minuta & albida, ſemunciales, florentes erectiusculi, dein patuli. Flores erecti, inodori, ultra florum centralium gemmas producti & florentes ſimul pauciſſimi, unde racemus verum corymbum mentitur; toti albi, exceptis antheris luteis, & petalis foris ſuperne purpuraſcentibus cum linea perpendiculari media vireſcente. Fructum non tulit maturum.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex, oblonga, obtuſa, ſubæqualia, plana, patentiſſima, in fructu conniventia.

Stam. Filamenta ſex, lanceolata, acuta, compreſſula, æqualia, erectiuscula, ortu cum germinis angulis alternantia, petalis paulo breviora. Antheræ oblongæ, didymæ, obtuſæ, erectæ.

Pist. Germen ſuperum, oblongum, profundiſſime ſexſulcatum. Stylus craſſus, triſulcatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, obſolete trifidum.

## DCXII.

ALBUCA MAJOR. *Linn ſyſt. pag.* 416. *Thunb. act. ſuec.* 1784. *pag.* 294. *Berg. cap. pag.* 87.

Ornithogalum luteo-virens indicum. *Corn. canad. pag.* 160. *Moris. hiſt.* 2. *pag.* 423. *ſect.* 4. *tab.* 24. *fig.* 7. *Rudb. el.* 2. *pag.* 140. *fig.* 7.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret a Fe-

bruario

bruario ad Aprilis finem. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, depreſſus, uncialis diametri & ultra, ſobole numeroſiſſima bulbillorum undique cincta. Folia plura radicalia, ſenſim in acumen anguſtata, longiora duos cum dimidio pedes longa, alia baſi vix tres quartas unciæ partes lata, alia vel ſescunciam, reclinata, integerrima, inferne canaliculata, ſtriatula, craſſula. Scapus teres, erectiusculus, calamo craſſior, tripedalis & ultra, obſolete ſtriatulus, viridis & glauco rore tectus, longiſſime racemoſus. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, primo virides, dein ferrugineæ, conniventes, infimæ duas cum dimidia uncias longæ, ſuperiores breviores. Pedunculi teretiusculi, patentiſſimi, firmuli, triunciales. Flores inodori, nutantes. Petala exteriora foris lutea cum faſcia infra apicem viridi, intus viridia cum oris luteis. Interiora alba cum faſcia media utrinque viridi cumque callo albo. Filamenta albent. Antheræ flavent. Germen & ſtylus virent. Stigma ſordide flaveſcit. Capſula ex ferrugineo ſtraminei coloris eſt. Semina nigricant.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex. Tria exteriora ovato-oblonga, obtuſa cum parvo mucrone calloſo, planiuscula, patentiſſima. Tria interiora oblonga, concava, erecta, conniventia, interioribus paulo breviora, obtuſa, ad apicem aucta callo ſubdidymo & inflexo.

STAM. Filamenta ſex, plana, erecta, petalis paulo breviora; quorum tria alterna ad baſin auriculato-dilatata, fertilia; alia tria ſterilia. Antheræ in fertilibus oblongæ, didymæ, incumbentes. Appendices transverſæ in ſterilibus, diverſimode inflexæ.

PIST. Germen ſuperum, turbinato-oblongum, trilobum, glabrum. Stylus craſſus, trilobus, papilloſe muricatus, erectus, longitudine ſtaminum, quolibet lobo terminato papillis faſciculatis flavis. Stigma conicum, triquetrum, papilloſum, erectum.

PER. Capſula ovato-oblonga, obtuſa, profunde triquetra, trilocularis, trivalvis.

SEM. plura, ſubrotunda, compreſſo-plana, marginata.

## DCXIII.

## ALBUCA VIRIDIFLORA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario & Februario, fructeſcens Martio & Aprili. Bulbus ſubrotundus, depreſſus, craſſe tunicatus, albidus, avellana major. Folia plura, linearia, anguſta, acuta, canaliculata, foris tota obſita villis capitatis minutis albisque, erectiuscula, flaccidula, pedalia. Scapus foliis paulo altior, teres, calamo gracilior, erectiusculus, debilis, inferne uti folia villoſus, ſuperne glaber & racemoſus. Pedunculi pauci a tribus ad quinque, diſtantes, patentes, biunciales, bractea ſuffulti lanceolata acuta fuſca & duplo breviore. Flores inodori, penduli. Petala interiora cum virore flaveſcunt. Filamenta albent. Antheræ luteæ ſunt. Capſula fuſceſcit. Semina nigricant.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex. Tria exteriora lanceolata, obtuſula, patentiſſima. Tria interiora ſpathulata, obtuſa, parum concava, erecta cum apice calloſo inflexo.

STAM.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, longitudine corollæ; quorum tria alterna antherifera ex baſi lata & ſubrotunda oriuntur; alia tria ſterilia apicem inflexum & reflexum habent. Antheræ oblongæ.

Pist. Germen ſuperum, oblongum, trilobum. Stylus inverſe conicus, triſulcatus, craſſiſſimus, tricuſpidatus, erectus. Stigma oblongum, erectum, in medio inter tres ſtyli cuſpides poſitum.

Per. Capſula ovata, obtuſula, triquetra, trilocularis, trivalvis.

Sem. numeroſa, ſubrotunda, plana.

## DCXIV.

ALBUCA VISCOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 326. *Thunb. act. ſuec. ann.* 1786. *pag.* 56. *Dryand. act. ſuec.* 1784. *pag.* 297.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Martio & Aprili. Folia, ſcapus, bracteæ, pedunculi, & per lentem petala exteriora obſidentur villis capitatis & viſcoſis. Bulbus ſubrotundo-ovatus, ſordide ex violaceo purpuraſcens, carnoſe tunicatus, nucis juglandis magnitudine. Folia plura, canaliculato-conniventia, hinc ſubulata, acuta, erectiuſcula vel reclinata, pedalia & ultra, calamum vel tantum pennam columbinam craſſa. Scapus teres, flexuoſus, erectiuſculus, foliis altior, craſſitie foliorum. Flores laxe racemoſi, a quinque ad duodecim, inodori, cernui. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, pedunculo duplo breviores, cito marceſcentes. Pedunculi biunciales, patentiſſimi, nonnunquam glabri. Petala exteriora alba cum faſcia utrinque longitudinali media virente. Interiora extus inferne albida & ſuperne flava, intus albida, cum faſcia utrinque media virente, & cum

apicis callo flavo Filamenta alba. Antheræ ſulphureæ. Piſtillum viride. Petala exteriora nonnunquam ad oras reflectuntur.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, obtuſa, patentiſſima, ad apicem vix calloſa. Tria interiora oblonga, parum concava, erecta, exterioribus paulo breviora cum apice calloſo inflexo.

Stam. Filamenta ſex, linearia, erecta, omnia fertilia, longitudine corollæ; tria alterna plana & ſupra baſin latiſſimam breviter conniventia; alia tria canaliculata. Antheræ oblongæ, ſagittatæ.

Pist. Germen oblongum, trilobum, glabrum. Stylus inverſe conicus, triſulcatus, craſſus, muricatus, erectus. Stigma capitatum, conicum, trilobum, muricatum.

## DCXV.

### ALBUCA SETOSA. *Tab.* 14. *fig.* 3.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Martio & Aprili; tota glabra. Bulbus ovatus, craſſe tunicatus, albidus, ovi gallinæ magnitudine; ſquamis ex apice truncato latoque terminatis in ſetas plurimas longas fuscasque; qua ſola nota ab omnibus mihi cognitis Albucis diſtinguitur. Folia plura, pedalia vel ſesquipedalia, alia dimidiam unciam lata, alia triplo anguſtiora, baſi fere concava, dein plana, cæterum canaliculata, apice ſubulata & acuta, flaccida. Scapus teres, calamum craſſus, firmus, erectus, una cum racemo plus quam ſesquipedalis. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, concavæ, pe-

dunculis

dunculis appreſſæ, inferne purpuraſcentes, ſuperne virides, unciales. Pedunculi plurimi, triunciales, fere craſſitie pennæ columbinæ, patentiſſimi, firmuli. Flores inodori, erecti. Petala flavent cum faſcia utrinque viridi. Antheræ ſunt ochroleucæ. Germen viret. Stylus e viridi flaveſcit. Capſula fuſceſcit. Semina ſunt atra.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex Tria exteriora oblonga, planiuscula cum apice inflexo ſubcalloſo, patentiſſima. Tria interiora lanceolato-oblonga, concava, erecta, conniventia, apice calloſo & inflexo fornicata, exterioribus paulo breviora.

STAM. Filamenta ſex, omnia antherifera, compreſſo-plana; tria alterna ad baſin dilatata. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, triquetrum, ſuperum, glabrum. Stylus inverſe ſubconicus, triſulcatus, craſſus, ſubtiliſſime muricatus. Stigma obtuſum, muricatulum.

PER. Capſula ovata, obtuſa, triſulcata, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, compreſſa.

## DCXVI.

ALBUCA SPIRALIS. *Linn. ſyſt. pag.* 326 *Thunb. act. ſuec.* 1786. *pag.* 57. *tab.* 2. *fig.* 2.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens Martio. Bulbus ovatus, tunicatus, pallidus, plus minus unciam longus. Folia radicalia pluscula, ſubfiliformia, ſemiteretia, concava, carnoſula,

acuta,

acuta, integerrima, apice ſpiraliter involuta, erectiuſcula, flaccida, a ſex ad novem uncias longa, antice glabra, dorſo ſtriatula & in omnibus ſtriis denſiſſime obſeſſa villis breviſſimis capitatisque; quales etiam villi ſcapum, pedunculos, bracteas & petalorum exteriorum dorſum ſuperius occupant. Scapus teres, pennam columbinam craſſus, longitudine foliorum, erectus, ſtriatulus. Flores inodori, ab unico ad quatuor. Pedunculi unciales & ultra, patentiſſimi. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, pedunculis breviores. Petala flavent cum faſcia media viridi. Filamenta alba. Antheræ luteæ. Germen glabrum viret. Stylus & ſtigma ex flavo pallide vireſcit.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex, oblonga, apice calloſula. Tria exteriora patentiſſima cum apice acutulo introrſum incurvato. Tria interiora erecta, pauxillo breviora, conniventia, apice fornicata.

Stam. Filamenta ſex, linearia, planiuſcula, erecta, petalis paulo breviora, omnia antherifera; tria alterna ad baſin auriculato-dilatata. Antheræ oblongæ, incumbentes.

Pist. Germen ſuperum, ovato-oblongum, triquetrum. Stylus cylindricus, triquetrus, papilloſo-eroſus. Stigma trifidum, ſeſſile, papilloſum.

## DCXVII.

TRIGLOCHIN BULBOSUM. *Linn. ſyſt. pag.* 348. *Linn. mant. pag.* 226.

Gramen triglochin bulboſum monomotapenſe. *Breyn. faſc. pag.* 24.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret ab Auguſto

guſto ad Octobrim; fructeſcit in tepidario Octobri & Novembri. Totum glabrum eſt. Bulbilli ovati, albi, nuce avellana minores, aggregati, in ſenio tecti toti ſetis numeroſis rigidulis & ferrugineis. Ex quolibet bulbillo folium radicale egreditur unicum, filiforme, acutum, ſolidum, dorſo convexum, facie ſulcatum, erectum, ad lentem ſtriatulum, plus minus quatuor uncias longum, baſi una cum ſcapo incluſum vaginæ bivalvi brevi ſtriatæque. Scapus nudus, teres, gracilis, non canaliculatus, erectus, a ſex ad octo uncias longus, & hinc terminatus in racemum ſemipedalem erectumque. Pedunculi uniflori, breves, patuli, numeroſi, ſparſi, nullis bracteis fulti. Flores puſilli, erecti. Calyx primum viret, dein ſubpellucidus albet. Antheræ flaveſcunt. Stigma albet. Stamina tria exteriora locantur inter calycem exteriorem & interiorem, ſtamina autem tria interiora inter calycem interiorem & germen, ut duplex dici poſſit calyx, quilibet triandrus. Calycem hexaphyllum dixi, ob omnium foliorum ſummam ſimilitudinem Poſſet æque dici corolla hexapetala, aut calyx triphyllus & corolla tripetala. Hoc fere arbitrarium eſt. Calyx interior adhucdum clauſus connivet, jam delapſo calyce exteriore. Poſt plures demum dies ille expanditur una cum antheris ſuis tunc pollen explodentibus. At tunc aucti jam admodum germinis ſtigma emarcidum eſt; ut ita que ab his antheris fœcundatio hujus germinis fieri nequeat. Capſula erecta, gracilis & fere ſemuncialis.

CAL. Perianthium hexaphyllum; foliolis ovatis, acutis, admodum concavis, patentiſſimis, æqualibus, deciduis; quorum tria exteriora multo præcociora.

COR. nulla.

STAM.

STAM. Filamenta ſex, brevia, patentiſſima, ſingula ante ſingula foliola calycis poſita, hinc tria exteriora & tria interiora. Antheræ didymæ, ipſis foliolis calycinis ampliores.

PIST. Germen ſuperum, ſubulatum, erectum, calyce longius. Styli nulli. Stigmata tria, plumoſa, reflexa.

PER. Capſula ſubulata, trilocularis, trivalvis; valvulis interne & inferne longitudinaliter dehiscentibus, ſubulatis, totis una cum contento ſemine deciduis, perſiſtente diſſepimento communi, cui adnexæ fuerunt.

SEM. ſolitaria, teretia, ſubulata.

## DCXVIII.

## MELANTHIUM EUCOMOIDES.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Decembri & Januario. Totum glabrum. Bulbus dentis canini plus minus forma, calamo duplo craſſior, plus minus ſescuncialis, teres, albidus, ad latus bulbo effœto elapſi anni fuſcoque adhærente ſtipatus, (quem rarius ovatum inveni, pollicemque craſſum,) in loco connexionis fibras radicales longas & deſcendentes emittens, ſuperne æquabiliter & ſine diſtinctione in caulem abiens folioſum, tres quatuorve uncias longum, debilem & reclinatum. Folia vere radicalia nulla. Caulina ut plurimum quinque, imbricata, baſi vaginantia, acuta, integerrima, utrinque nitidiſſima & ad lentem minutiſſime punctatula, ſubdiſticha, patentiſſima, inferne conniventia & ſubcucullata, cæterum planiuscula, nervo medio ſubtus protuberante, ſubcoriacea; ſumma duo ovata

&

& brevia ; inferiora enſiformi-lanceolata ; infima duo plus minus pedem longa & ſescunciam lata. Pedunculi terminales, terni, erecti, trigoni, uniflori, albi; laterales duo omni bractea deſtituti, intermedius vero bractea propria lanceolata acuta florumque longitudine involutus ; in foliis ſuperioribus mutuo amplexantibus reconditi. Flores inodori, erecti, ſummo folio breviores, ne vel ad lentem punctati. Petala, filamenta & piſtillum virent. Filamentorum baſis craſſa autem atra eſt. Antheræ ſordent cum polline ſulphureo.

CAL. nullus.

COR. campanulata, hexapetala. Petala infera, ex ungue craſſo tereti erectoque lanceolata, canaliculato-concava, acutula, patula, baſi auriculata, æqualia, diſtincta.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, incurvata, petalis breviora, baſi rotundata & craſſiore inſidentia unguibus petalorum inter eorundem auriculas Antheræ oblongæ, erectæ, magnæ, corolla paulo longiores.

PIST. Germen ſuperum, conicum, triquetrum, deſinens in Stylos tres, ſubulatos, erectos, ſuperne patulos, longitudine filamentorum. Stigmata ſimplicia, obtuſa.

## DCXIX.

## MELANTHIUM JUNCEUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Decembri & Januario, fructeſcens Martio & Aprili. Totum glabrum. Bul-

bus ſubrotundus, avellana major, tunica fuſca veſtitus, ſæpius ſulcatus. Folium radicale unicum, teres, ſubulatum, acutum, antice ſulco exaratum, erectum, ſcapo duplo vel triplo brevius, longe vaginans, baſi foliolo plano acuto vaginante & fuſco uno alterove circumdatum. Scapus teres, ſubulatus, nitidus, læte viridis, nudus, erectiusculus, pedalis vel ſesquipedalis, ſimpliciſſimus, verſus ſummitatem duobus foliis alternis inſtructus, & terminatus in ſpicam biuncialem, erectiusculam, a quatuor ad novem flores alternos ſeſſilesque gerentem. Petala ex violaceo purpuraſcunt, in aliis individuis pallidius rubent, in aliis albent, cum ungue ſemper ſaturate rubro. Filamenta purpuraſcunt. Antheræ fuligineæ cum polline rubro. Germen viride. Capſula pallide fuſceſcit. Semina flaveſcunt.

Cal. nullus.

Cor. Petala ſex, lanceolata, acutula, æqualia, patentia; ungue donata craſſo, canaliculato, erecto, ſuperne ad utrumque latus terminato in ſuperficiem planam.

Stam. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, petalis fere duplo breviora, quorum unguium baſi inſeruntur. Antheræ oblongæ, erectæ.

Pist. Germen ſuperum, ſubrotundum, triquetrum. Styli tres, filiformes, erecti, ſtaminibus breviores. Stigmata ſimplicia.

Per. Capſula ſubovata, triquetra, obtuſa, ſtylis coronata, ad ſemina toruloſa, trilocularis, trivalvis.

Sem. plura, ſubrotunda, nitida.

## DCXX.

### OENOTHERA ODORATA.

Creſcit ad Champion river in Patagonia. Apud nos floruit primo ætatis anno a Julio ad Septembrim, dein ab Aprili ad Julium. Radix ramoſa. Caulis ſuffruticoſus, inferne ſublignoſus, ramoſus, calamum craſſus, cinereus, teres, erectus, debilis, villoſus, ſesquipedalis, hyemem in tepidario tranſigens & ſempervirens. Folia ſunt alterna, ſeſſilia, lineari-lanceolata, vel ex adverſo lanceolato-linearia, acuta, obſolete & rariter denticulata, ad lentem utrinque villoſula, infima plana, reliqua rigide undulata, pallide virentia, tres quatuorve uncias longa. Flores axillares, ſolitarii, ſeſſiles, odorem Lilii martagonis ſpirantes, ſpecioſi, circa veſperam ſeſe explicantes, & proximo mane marceſcentes. Calyx villoſus, mollis, purpuraſcens; limbi laciniis ſubtus infra apicem mucrone innocuo auctis, magis minusve ad oras conglutinatis, ut ſemper in unam dumtaxat duasve partes a corolla prorumpente dehiscat. Petala quatuor, obverſe cordata, ampliſſima, fere unciam longa lataque, flava. Filamenta flaveſcunt. Antheræ pallent Capſula ſescuncialis, villoſa, coronata limbo campanulato & quadrifido. Omnes in hoc volumine deſcriptæ plantæ patagonicæ ab illuſtri Middleton in loco natali detectæ fuerunt, earundemque ſemina ab egregio Gulielmo Forſyth cum filio meo ineunte anno 1793. communicata.

## DCXXI

MIMUSOPS RACEMOSA. *Tab. 3. fig. 1.*

Ante ſenos annos ex inſula Mauritii absque nomine arbor in hortum Schönbrunnenſem transportata fuit, trunco brachium craſſo & altitudinis humanæ, ſuperne diviſo in craſſos truncatos ramos, foliis plane orba; quæ ſubſequis menſibus Julio atque Auguſto in caldario plures flores produxit; quos ilico deſcripſi; at fruſtra huc usque exſpectavi folia, disparuit enim brevi arbor, quæ aut periit, aut loco mutato ignota tot alias inter ignotas latet. Non puto, ad Linnæanas reduci ſpecies poſſe, a quibus differt infloreſcentia & nectarii defectu. Racemi compoſiti, triunciales. Racemuli ſive racemi partiales cylindrici, denſi, biunciales. Pedunculus communis princeps teres, ad lentem villoſulus. Pedunculi communes partiales breves, teretes, glabri, purpuraſcentes, inferiores pauciflori, ſummi uniflori & geniculati. Pedicelli proprii breves & albidi. Perianthii foliola ciliata, ſubtus pallide viridia, facie albida. Petala ciliata & albida. Antheræ luteæ. Germen & filamenta hirſutum.

CAL. Perianthium octophyllum; foliolis lanceolatis, acutis, patentiſſimis, unius ordinis.

COR. Petala octo, lanceolata, acuta, patentiſſima, calyce paulo longiora.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, adſcendentia, longitudine corollæ. Antheræ geminæ, ſubrotnndæ, bivalves.

PIST. Germen ſuperum, ovatum. Stylus filiformis, erectus, ſemiquadrifidus. Stigmata ſimplicia.

DCXXII.

## DCXXII.

TRIBULUS CISTOIDES. *Linn. ſyſt. pag.* 402

Tribulus foliis ſexjugatis ſubæqualibus, flore amplo odorato. *Brown. jam. pag.* 220.

Tribulus terreſtris major curaſſavicus. *Herm. par. pag.* 236. *tab.* 236.

Tribulus terreſtris americanus, Chamæciſti flore, fructu ſpinoſo maximo. *Breyn. prodr.* 2. *pag.* 103.

Tribulus terreſtris americanus, Argemones flore flavo. *Plukn. alm. pag.* 374. *tab.* 67. *fig.* 4.

In Curaçao, inſulis ſancti Euſtathii, Martini, aliisque ſponte creſcentem locis ſiccis vidi; florentem in caldariis noſtris Junio & Julio. Radix perennis, lignoſa, tandem ſupra terram protuberans, fuſceſcens, fuſiformis cum cruribus lateralibus pluribus, pollicem craſſa. Caules plures, annui, in orbem proſtrati, apice adſcendentes, ramoſi, teretes, hirtuli, purpuraſcentes, pennæ columbinæ craſſitie, pedales & ultra. Folia diſticha, pinnata ſine impari, pleraque octojuga, inferiora alterna, ſuperiora ad flores oppoſita; coſta a duabus ad tres uncias longa, piloſa; foliolis oblongis, obtuſulis cum mucrone innocuo, integerrimis, ſubpetiolatis, ſupra glabriuſculis, ad oras ciliatulis, ſubtus pilis decumbentibus ad lentem obtectis, plus minus octolinearibus, viridibus. In oppoſitis foliis alterum ſemper eſt altero oppoſito duplo brevius & dumtaxat quadrijugum, idque alternantibus vicibus. Stipulæ lanceolatæ, acuminatæ, piloſulæ, patentiſſimæ. Pedunculi uniflori, ſolitarii, axillares ex foliis brevioribus, teretes, erecti, unciales, piloſuli. Flores elegantes, ſuaveolentes. Calycis

penta-

pentaphylli ſoliola lanceolata, acuta, concava, patentiſſima, ex flavo virentia, hirſuta. Petala quinque, calycem ſuperantia, ampla, obverſe ovata, obtuſiſſima, lutea, fere uncialia, patentiſſima. Filamenta decem, ſubulata, erecta, brevia, lutea. Antheræ oblongæ, erectæ, luteæ. Germen hirſutum, oblongum, viride, longitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma obtuſum. Capſulæ fuſcæ, quadriſpinoſæ.

## DCXXIII.

ROYENA HIRSUTA. *Tab.* 13. *fig.* 1. *Linn. ſyſt. pag.* 410.
Arbutus foliis lanceolatis, integerrimis, hirſutis. *Linn. cliff. pag.* 163.
Staphylodendrum africanum, folio lanuginoſo rosmarini latiore. *Boerh. lugd.* 2. *pag.* 235.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Junio & Julio. Frutex tripedalis, ramoſus. Rami teretes, villoſi. Folia breviſſime petiolata, alterna, lanceolata, obtuſula, integerrima, ſubcoriacea, utrinque ad lentem villoſula, majora ſubtomentoſa & mollia, ad oras parumper revoluta, caulina tres quatuorve uncias, reliqua unam vel duas longa. Pedunculi uniflori, axillares, teretes, villoſi, reclinati, vix ſemunciales. Calyx villoſus viret. Corolla ſordide flavet, foris villoſula, melle dulci plena. Filamenta & antheræ valde hirſuta ſunt. Germen & ſtylus villoſa. Fructum non tulit.

CAL. Perianthium monophyllum, fere ad baſin usque quinquepartitum; laciniis lanceolatis, acntis, erectis.

COR.

Cor. monopetala. Tubus campanulatus, calyce longior. Limbus quinquefidus; laciniis ſubovatis, acutis, revolutis, longitudine tubi.

Stam. Filamenta decem, clavata, corollæ tubo adnata, erecta, breviſſima. Antheræ lanceolatæ, acuminatæ, erectæ, tubo corollæ breviores.

Pist. Germen ſubrotundum, obſolete quinquangulare, baſi decemdentatulum. Stylus unicus, filiformis, erectus, ſuperne quintuplex, fere longitudine ſtaminum. Stigmata ſimplicia, obtuſa.

## DCXXIV.

### SILENE CLANDESTINA. *Tab. 3. fig. 3.*

Ex Promontorio bonæ Spei. Planta annua, ramoſa, diffuſa, ſemipedalis, tota hirtula, floret apud nos a Majo ad Julium. Folia ſunt oppoſita, lineari-lanceolata, ſeſſilia, acutula, integerrima, ad oras hirtula, uncialia. Pedunculi uniflori, unciales, erecti, florentes terminales, fructigeri (dum ramulus ultra elongari pergit) axillares. Calyx clavatus, acute quinquedentatus, decemſtriatus, hirtulus. Petala cuneiformia, bifida cum laciniis oblongis & obtuſis, tota erecta, vix calycem ſuperantia, ad faucem breviter coronata, albida cum limbo ſubtus purpuraſcente. Genitalia generis. Styli pilis clavatis villoſi. Fructus erecti.

## DCXXV.

### SILENE SEDOIDES. *Tab.* 14. *fig.* 1.

Sub hoc titulo ſemina accepi, patria ignota. Floret ſub dio Junio & Julio. Radix annua. Caulis ramoſus, diffuſus, ſemipedalis; ramis dichotomis, villoſis. Folia ſunt oppoſita, ſeſſilia, ſubcuneiformia, obtuſula, integerrima, carnoſula, utrinque & ad oras minutiſſime muricata, vix tamen ſcabra, rigidula, uncialia. Pedunculi uniflori, ſolitarii, villoſi, ſemunciales, in dichotomiis ramorum & terminales, in flore erecti, in fructu patentiſſimi. Flores parvi, erecti. Calyx tubuloſus, villis capitatulis denſe obſeſſus. Petala calyce paulo longiora; laminis ſupra carneis, ſubtus albidis, obverſe ovatis, leviſſime emarginatis, patentiſſimis, ſingulis coronatis ad faucem bracteola diphylla acuta erectaque. Antheræ albidæ. Germen teres, glabrum. Capſula oblonga.

## DCXXVI.

### COTYLEDON MUCIZONIA. *Tab.* 13. *fig.* 2.

Sub hoc titulo ex Hiſpania accepi ſemina ſine loco natali indicato. Plantula annua floret ſub dio Junio & Julio, brevi fert ſemina matura, ex quibus deciduis ſponte mox numeroſæ aliæ excreſcunt, florentes jam Auguſto & Septembri, ut bis intra dimidium annum vivat pereatque. Ex radice ramoſa caulis exſurgit vix quadriuncialis, teres, gracilis, ramoſus, villoſus, erectiuſculus, terminatus una cum

ramis

ramis in racemos multifloros laxos villoſos & erectos. Folia ſunt alterna, ſeſſilia, ſublinguæformia, pulpoſa, obtuſa, ad oras pilis rarioribus hirtula, cæterum glabra, integerrima, patentiſſima, infima uncialia, reliqua ſucceſſive breviora. Pedicelli villoſi, tres quatuorve lineas longi, patuli. Flores inodori. Calycis virentis hirſuti & ferme ad baſin quinquepartiti foliola ovata, acutula, craſſula, erecta. Corollæ tubus erectus, flaveſcens; limbi laciniæ ſubrotundæ, obtuſæ, planæ, patentiſſimæ, ex carneo pallentes. Filamenta decem, ſubulata, erecta, tubo corollæ breviora, alterna longiora. Antheræ quadriſulcatæ, erectæ, pallidæ. Sqamæ nectarii quinque, cuneiformes, minimæ, erectæ, luteæ. Germina oblonga & glabra attenuantur in ſtylos ſubulatos longitudine ſtaminum. Stigmata ſimplicia.

## DCXXVII.

### EUPHORBIA SCORDIFOLIA.

Patriam ignoro; an forte Africa ſit? nam ſemina ante plures annos Pariſiis accepi ſub titulo Euphorbiæ Senegal. In caldariis noſtris floruit æſtate Lacteſcit, & tota quanta hirſuta & mollis eſt. Radix ramoſa, annua. Caulis unus alterve debilis, erectiusculus vel adſcendens, teres, rubeſcens, pennam columbinam craſſus, per ramos alternos ſubdichotomus. Folia ſunt oppoſita, breviſſime petiolata, ſubovata cum baſi altera breviore, obtuſa, crenulata, venoſula, longiora uncialia. Pedunculi uniflori, axillares, ſolitarii, breves, hirſuti, etiam in quibusdam dichotomiis. Omnes flores hermaphroditi ſunt, & minuti. Calyx hirſutus viret. Petala quatuor, ſubrotunda, apice la-

to multicrenata, expanſa, alba. Ad baſin cuilibet petalo inſidet glandula (niſi potius petala interiora dicantur) cupellata, compreſſa, e viridi flaveſcens, craſſula. Filamenta ſunt alba. Antheræ luteæ. Styli tres, bifidi, erecti, albidi. Germen & capſula ſunt hirſuta.

## DCXXVIII.

EUPHORBIA POLYGONIFOLIA. *Tab.* 13. *fig.* 3. *Linn. ſyſt. pag.* 450. *Linn. amœn. vol.* 3. *pag.* 116.

Euphorbia procumbens, ramulis alternis, foliis lanceolato-linearibus, floribus ſolitariis. *Gron. virg. pag.* 74.

Peplis marilandica minima, ramoſiſſima, anguſtifolia. *Raj. hiſt. vol.* 3. *pag.* 431.

Annua & tota lacteſcens plantula creſcit in Virginia, Marilandia & Canada. Sub dio apud nos floret a Julio ad Octobrim. Radix fuſca, gracilis, aliquot uncias longa. Tota piloſa & procumbens. Caulis ſemipedalis. Rami numeroſi, alterni, teretes, obſolete purpuraſcentes, ſubdichotomi. Folia oppoſita, breviſſime petiolata, oblonga, obtuſa, integerrima vel rarius ſuperne paucidentata, tres quatuorve lineas longa. Flores axillares, ſolitarii, ſeſſiles, omnes hermaphroditi. Calyx vireſcens, piloſus, quadridentatus. Petala quatuor, ſubrotunda, obtuſe tri-vel quadridentata, alba. Germen hirſutum. Styli tres, apice bifidi & obtuſi. Capſula hirſuta.

## DCXXIX.

## DCXXIX.

EUPHORBIA CANESCENS. *Tab.* 2. *fig.* 3. *Linn. ſyſt. pag.* 450.
Tithymalus exiguus villoſus, nummulariæ folio. *Tourn. inſt. pag.* 87.

Creſcit in Hiſpania circa Malagam. Floret apud nos Julio & Auguſto. Tota lacteſcit. Ex radice annua caules in orbem ſparguntur plures, procumbentes aut adſcendentes, noduloſi, graciles, piloſi, toti ramoſi, purpuraſcentes, duas tresve uncias longi. Folia oppoſita, parva, breviter petiolata, oblongate ſubrotunda, obtuſiſſima, verſus apicem per lentem obſcure crenulata, utrinque villis erectis piloſa, ex incano virentia, altero latere ad baſin paulo breviora, patentiſſima. Flores minimi, axillares, ſolitarii, pedunculati, erecti, omnes tetrapetali & hermaphroditi. Calyx campanulatus, purpuraſcens, glabriuſculus; limbo in denticulos minutiſſimos acutos & hirſutos exſciſſo. Petala ſubrotunda, crenata, patentiſſima, alba cum baſi rubra. Germen triquetrum, hirſutum, pedicellatum. Styli tres, ſemibifidi, rubri. Semina rugoſa, cinerea.

## DCXXX.

CISTUS LAVANDULAEFOLIUS. *Tab.* 10. *fig.* 2.
Ciſtus ſuffruticoſus, erectus, ſtipulatus; foliis lanceolatis, margine revolutis, ſubincanis; racemis incurvis, terminalibus; floribus confertis. *De Lamarck. enc. vol.* 2. *pag.* 25.
Ciſtus caule fruticoſo, erecto, incano; foliis ſtipulatis, incanis; infimis oblongis; caulinis rameisque lineari-lanceolatis, margine

revolutis, faſciculatis; calycibus planis, cordato-acutis. *Pourr. act. toloſ. vol.* 3. *pag.* 314.
Ciſtus lavandulæ latifoliæ folio. *Barr. rar. pag.* 52. *ic.* 288.

Creſcit in Catalonia & circa Malagam in Hiſpania. Floret apud nos a Julio ad Octobrim. Caulis fruticoſus, erectus, ſesquipedalis, teres, calamum craſſus, ramoſus, fuſcus, ad lentem tomentoſulus. Tales etiam rami, qui juniores ſunt incani. Folia ſunt oppoſita, breviſſime petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, ad oras revoluta, utrinque tomentoſa, ſubtus incana, craſſula & rigidula, adulta plus quam uncialia. Stipula utrinque ad quodlibet folium lanceolato-acuminata, incana, ciliata, erecta, brevis. Racemus trifidus, terminalis, & ex foliis ſummis utrinque axillaris. Racemi tandem triunciales, multiflori, villoſi. Pedicelli breves, cernui. Flores nutantes, ſecundi. Calycis villoſi foliola duo exteriora lanceolato-linearia, acuta, ciliata, parva. Tria interiora ovata, acuta, concava, biſtriata, ciliata. Petala lutea, emarginata, calyce longiora. Stamina lutea. Germen hirſutum. Stylus ſtaminibus paulo longior. Stigma penicilliformiter multipartitum. Fructum non perfecit. Cluſii Ciſtum lavendulæ folio in ſynonymia omiſi, adeoque etiam Caſparum Bauhinum, quia mihi videtur longe alia eſſe ciſti ſpecies.

## DCXXXI.

STACHYS RUGOSA. *Ait. hort. kew. vol.* 2. *pag.* 303.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret ab Auguſto ad Novembrim. Tota nauſeoſa, fœtida, tomentoſa & incana.

Caules

Caules plures, fruticoſi, bipedales, ramoſi, calamum & ultra craſſi, ſeniores teretes, erecti vel reclinati. Rami obtuſe tetragoni, albi. Folia oppoſita, breviſſime petiolata, anguſte vel ſublineari-lanceolata, acuta, in noſtris individuis integerrima, rugoſula, patentiſſima, craſſula, duas plus minus uncias longa. Verticilli axillares, ſexflori. Pedicelli breves. Involucri foliola pauca, linearia, brevia, incana, inæqualia. Calycis incani, campanulati, obſolete angulati, & ad unam tertiam partem quinquefidi, denticuli æquales acuminati & erecti. Corollæ ringentis tubus albus villoſulus & incurvus. Galea erecta, oblonga, obtuſa, concava, foris villoſa, albida. Labii inferioris flaveſcentis lacinia intermedia ampla, ſubrotunda, emarginata; laciniæ laterales oblongæ, obtuſæ, reflexulæ. Antheræ gemellæ, pendulæ, oblongæ, ferrugineæ; exteriores more congenerum poſt pollinis exploſionem ad latera galeæ reflexæ.

## DCXXXII.

VOLKAMERIA INERMIS. *Tab.* 4. *fig.* 1. *Linn. ſyſt. pag.* 577. *Linn. flor. zeyl. pag.* 104. *Ait. kew. vol.* 2. *pag.* 364. *num.* 2. *α.*

Jaſminum littoreum. *Rumph. amb. vol.* 5. *pag.* 86. *tab.* 46.

Jaſmini flore frutex philippenſis, foliis floribusque fere ternis. *Petiv. gaz. tab.* 42. *fig.* 7.

Periclymeni ſimilis myrtifolia arbor maderaspatenſis. *Plukn. alm. pag.* 287. *tab.* 211. *fig.* 4.

Niir Notsjil. *Rheed. mal. vol.* 5. *pag.* 97. *tab.* 49.

Creſcit in Indiæ orientalis pluribus regionibus. Apud nos in caldariis floret æſtate. Frutex decempedalis, ramoſus, totus glaber-

rimus.

rimus. Rami teretes, a petiolorum articulis perſiſtentibus tuberculati, nec ſpinoſi. Folia oppoſita, ovata, in acumen obtuſum producta, integerrima, nitida, duas plus minus uncias longa cum petiolo ad baſin breviter articulato. Pedunculi axillares, nonnunquam ſuprafoliacei, foliis breviores, patuli, ſæpius trifidi & triflori. Bracteæ ad pedunculi communis diviſionem & in ipſis pedicellis oppoſitæ, ſubulatæ, parvæ. Corollæ tubus ex ſulphureo albet, limbo albo triplo longior. Filamenta purpurea. Et alia generis.

## DCXXXIII.

VOLKAMERIA LIGUSTRINA. *Tab. 5. fig. 1.*
Volkameria inermis. *Ait. kew. vol. 2. pag. 364. num. 2. β.*

Creſcit in inſula Mauritii. In caldariis noſtris floret Julio, fructeſcit Novembri. Truncus arboreus, carpum craſſus, cinereus, teres, erectus, decempedalis, ſuperne in ramos longos & ſubdiviſos patens, a petiolorum articulis ſuperſtitibus tuberculatos quidem, at minime ſpinoſos. Folia omnia oppoſita, nulla terna, lanceolata, utrinque acuta, integerrima, ad oras & nervum medium per lentem obiter villoſula, cæterum glaberrima, duas treſve uncias longa cum petiolo villoſulo & breviter ad baſin articulato. Pedunculi axillares, ſolitarii, teretes, villoſuli, graciles, foliis breviores, tres quatuorve flores pedicellatos ſuſtinentes, ſæpe bis dichotomi & ſic ſeptemflori. Bracteolæ ad pedicellos minutiſſimæ, villoſæ. Calycis villoſi laciniæ ſemiovatæ, acutæ, & ciliatæ. Corolla cum aliqua flavedine alba, limbo tubo haud multum ſuperante. Filamenta alba. Fructus magnitudine ciceris,

ciceris, fuſceſcentes, pulpa pauca molli & fatua. Semina bilocularia. Et alia generis. Differt a Volkameria inermi, villoſitate petiolorum pedunculorum & calycis, brevitate tubi corollæ, tum figura foliorum, & filamentorum colore.

DCXXXIV.

DURANTA PLUMIERI. *Linn. ſyſt. pag.* 577. *Jacq. amer. pag.* 186. *tab.* 176. *fig.* 76.

Caſtorea racemoſa, flore cæruleo, fructu amaro. *Plum. ic. tab.* 79.

Creſcit in fruticetis & in ſepibus in inſula San Domingo. Deſcriptionem hujus ſtirpis dedi ſatis amplam loco citato. Cum antea dederam figuram Durantæ Elliſiæ, volui etiam adjungere in Iconibus Durantam Plumieri, quæ in caldariis floret & fructeſcit cum priore. In hac autem culta nunquam adhucdum ſpina obſervata fuit. Calycis in fructu perſiſtentis diverſitas in utraque ſpecie conſtantiſſima eſt; & habet etiam utriusque habitus aliquid, quo mox diſtinguo, quod tamen verbis exprimere nequeo; ut non aſſentiar Botanicis illis, qui utramque pro una eademque ſpecie habent. Cum nec hanc, nec alteram unquam viderim repentem, Plumieri ſynonymum Caſtoreæ repentis ſpinoſæ, incognitæ mihi plantæ, omiſi. Hujus Durantæ ramulus in Iconibus depingitur pendulus, in Elliſia erectus; utrumque enim utrique commune eſt.

## DCXXXV.

### CRAMBE FILIFORMIS.

Creſcit ad Champion River in Patagonia. Apud nos floret primo anno a Junio ad Auguſti finem ſub dio; hyemem in tepidario tranſigens ſuffruteſcit, & altero anno & ſubſequis jam Aprili florere incipit. Radix ramoſa. Caulis paniculatus, gracilis, teres, glaber, erectus, viridis, duos tresve pedes altus, una cum ramis ramulisque omnibus terminatus in racemos filiformes erectosque. Folia ſunt alterna, acuta, venoſa, remota. Inferiora pinnata, dentato-ſerrata, tota hiſpida, petiolata; pinna extrema ſubrotunda vel ovata, magna; reliquis oblongis, diſtantibus, oppoſitis vel alternis, longe minoribus, infimis minimis. Reliqua folia ſunt ſimplicia, parva, ſeſſilia; ſumma minuta, integerrima. Flores ſecundi, numeroſi, minime corymboſi, in quolibet racemo bini vel terni ſimul ſucceſſive expanſi. Pedicelli breves, erecti. Calyx pallide flaveſcit. Petala ſunt nivea cum unguibus flavis. Glandulæ virent. Antheræ & ſtigma flavent. Pericarpium pallet. Semen nigricat, ſapore ſinapios mitiori.

Cal. Perianthium tetraphyllum; foliolis oblongis, obtuſis, concavis, erectis, coloratis, deciduis.

Cor. tetrapetala, cruciformis. Petala obverſe ovata, obtuſa, plana, breviter unguiculata, calyce duplo longiora, ſupra hunc patentiſſima.

Glandula nectarea unica utrinque inter corollam & filamenta longiora.

Pist.

Piſt. Germen ovatum, pedicello longiſſimo inſidens, altitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma capitatum, obtuſum, papilloſum.
Per. globoſum, ſiccum, nitidum, uniloculare, non dehiscens.
Sem. unicum, globoſum.

## DCXXXVI.

## ERODIUM RIBIFOLIUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos a Majo ad Auguſtum; totum fœtidum. Radix ramoſa, annua. Caules plures, teretes, piloſi, ſesquipedales, primo erectiusculi, dein ob debilitatem in terram dejecti. Folia oppoſita, petiolata, cordata, ſubtriloba, obtuſula vel acuta, ſerrata, venoſa, ad venas & ad oras piloſa, cæterum ad lentem hirtula, viridia. Stipulæ ovato-acuminatæ, ſcarioſæ. Pedunculi communes axillares, foliis longiores, piloſi. Involucri foliola fere quinque, ſtipulis ſimilia. Flores umbellati, parvi, a duobus ad quinque. Pedicelli villoſi, plus minus unciales. Calycis pentaphylli & hirſuti foliola lanceolata, concava, ſtriata, breviter ariſtata, ad baſin ariſtæ antice barbatula, æqualia. Petala quinque, purpurea, obverſe ovata, integerrima, æqualia, patentiſſima, vix longitudine calycis. Stamina congenerum. Antheræ luteæ. Glandulæ virides. Semina hirta; acu per ſpiram multiplicem intorta hirta & paucis pilis longis plumoſa.

# DCXXXVII.

## PELARGONIUM LACERUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, ex quo ſemina ſub hoc titulo & pro nova ſpecie tranſmiſſa fuerunt, florens apud nos a Majo ad Julium, odoris ingrati, plerumque bienne. Radix ramoſa. Caulis herbaceus, teres, modo erectiusculus, modo procumbens, calamum craſſus, ſesquipedalis, piloſus, ramoſus, ad ſolem ſanguineus. Folia longe petiolata, alia alterna, alia oppoſita, circumſcriptione oblonga, obtuſa, ad oras & ſubtus ad nervum venasque hispida, in facie raris pilis adſperſa, patentia, longiora quinqueuncialia cum petiolo triunciali & hirſuto; infima ſimplicia & pinnatifida; reliqua ternata, foliolis lateralibus circumſcriptione ſubrotundis lobatis & inciſis, intermedio oblongo & pinnatifido cum laciniis approximatis & inciſis, infimis etiam præterea lobatis. Stipulæ ſubcordatæ, acuminatæ, hirſutæ, ciliatæ, virides, patentiſſimæ. Pedunculi communes oppoſitifolii, pauci axillares, teretes, hirſutuli, in flore erecti, in fructu patentiſſimi vel reflexi, a tribus ad ſex uncias longi, umbelliferi. Involucri foliola circiter quina, lanceolato-ovata, acuta, hirtula, ciliata, reflexa. Pedicelli ſæpius quini, teretes, compreſſuli, hirti, ad baſin fere usque cuniculati, ſemunciales. Calycis pentaphylli foliola longe lanceolata, acuta, hirtula, ſtriata, patula, ſummo latiori. Petala ſemper quinque, obtuſa, patula, pallide carnea; duo ſuperiora obverſe ovata, latiſſima, ſupra unguem ſtriis duabus ramoſis ſanguineis inſignita; tria inferiora multo breviora & anguſtiora, fereque ſpathulata. Filamenta decem, baſi connata, declinata, quinque antherifera. Antheræ oblongæ,

longæ, rubræ. Germen hirſutum. Stigma quinquefidum, ſanguineum. Fructus hirtus. Seminum ariſta plumoſa.

## DCXXXVIII.

### PELARGONIUM ANEMONAEFOLIUM.

Geranium africanum folio anemones. *Riv. pentap. irreg.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos æſtate; tritum odoris balſamici ingrati; bienne. Radix teres, calamum craſſa, fuſceſcens. Caulis teres, calamum craſſus, pedalis, ramoſus, ſcabriusculus, hirtus, hispidus, erectus; ramis inferioribus patulis. Folia ſunt circumſcriptione oblonga, alterna, ſumma oppoſita, obtuſa, utrinque ad lentem punctatula; ſubtus & ad oras pilis albis hirtula, ſupra glabra vel etiam hirſuta, pinnatifide lobata, inciſa, crenata, longiora triuncialia cum petiolo biunciali & hirſuto, ſumma ſeſſilia & rigidula; lobis majorum foliorum infimis plerumque diſtinctis, ut folia tunc ſint ternata. Folia ſuperiora in quibusdam individuis ſunt bipinnatifida. Stipulæ ſubrotundæ, acutæ, ciliatæ. Pedunculi communes oppoſitifolii vel axillares, teretes, ad baſin incraſſati, ſcabriusculi, biunciales, umbella quatuor vel quinque florum terminati, floreſcentes erecti, fructeſcentes patentiſſimi vel reflexi. Involucri foliola plus minus ſeptem, lanceolata, acuta, ſtriata, ciliata, reflexa. Pedicelli ſcabri, hirtuli, erecti, fere ad baſin cuniculati, ſemunciales. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, hirtula, ciliata, patula, virentia cum ſtriis purpureis; ſummo paulo latiori. Petala quinque, cuneiformia, roſea, calyce duplo longiora, obtuſa, patentia;



tia;

tia; quorum duo ſuperiora multo latiora lineisque ramoſis ſanguineis inſcripta. Filamenta decem, baſi coalita, ſeptem fertilia. Antheræ ſanguineæ. Stigma quinquefidum, ſupra villoſum, ſanguineum. Fructus hirſutus. Seminum ariſta plumoſa, ſescuncialis.

## DCXXXIX.

### PELARGONIUM BULLATUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens æſtate; bienne vel trienne; tritum odoris ingrati. Radix ramoſa. Caulis teres, calamum craſſus, fuſcus, uncialis, mox in ramos plures ceu totidem caules diviſus, procumbentes, teretes, ramoſulos, herbaceos, ſesquipedales, ad lentem denſiſſime & breviſſime villoſos, nec piloſos aut hirſutos. Folia inferiora alterna, reliqua oppoſita, petiolata, utrinque ad lentem hispidula, breviter ciliata, ſupra ſaturate virentia cum diſco nonnunquam fuſceſcente, ſubtus pallidius viridia, circumſcriptione oblonga, obtuſa, inciſo-ſerrata; infima quædam integra; ſubſequa ternata; foliolis lateralibus magis minusve ſubrotundis & lobatis; foliolo medio ſubpinnatifido; folia ſuperiora pinnatifida; fere omnia in toto ambitu ſic revoluta, ut convexa vel bullata evadant. Stipulæ ovatæ, acutæ, longis rarisque pilis ciliatæ. Pedunculi communes axillares, pauci oppoſitifolii, teretes, villoſuli, biflori, foliis longiores. Involucri foliola ſæpius quatuor, lanceolata, acuta, viridia, ad lentem villoſula, patula vel reflexa. Pedicelli vix ſemunciales, fere ad baſin usque cuniculati, hirtuli, ſordide purpuraſcentes. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, ſtriata, villoſa, pa-

tula;

tula ; ſummo latiori. Petala ſemper quatuor, pallidiſſime purpurea vel carnea, calyce duplo longiora ; quorum duo ſuperiora ex ungue longa in laminam anguſtantur rotundatam & ampliſſimam, erectiuſcula ſunt, & inferne duabus lineis ramoſis rubris percurſa ; duo inferiora elongate lanceolata, ſupra ungues reflexa, ſuperioribus breviora multoque anguſtiora. Filamenta decem, baſi connata, quinque alterna antherifera. Antheræ ſnbminiatæ. Stigma quintuplex, ſanguineum. Fructus hirſutus, biuncialis. Semina baſi acuminata, hirſuta cum ariſta plumoſa.

## DCXL.

## PELARGONIUM LONGICAULE.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, apud nos florens a Majo ad Julium, odoris fœtidi, bienne vel trienne. Radix ramoſa, tandem digitum craſſa. Caules plures, herbacei, baſi ad ſummum calamum craſſi, teretes, ſæpe geniculati ac nodoſuli, ſordide purpuraſcentes, toti procumbentes & pilis albidis denſe hirſuti, tripedales, ramoſi. Folia longe petiolata, inferiora alterna, ſuperiora oppoſita, ciliata, ſubtus ad nervum venasque hirſutula, cæterum glabriuſcula & ad lentem punctatula, ſubaſpera, nervo venisque dorſalibus ſæpe purpureis, ternata ; foliolis lateralibus lobatis & inciſo-ſerratis ; medio elongato, triunciali, pinnatifide ſecto in lobos oblongos diſtantes & apice inciſo-dentatos ; petiolo hirſuto. Stipulæ ovatæ, acutæ vel truncatæ, ciliatæ, hirſutæ. Pedunculi communes oppoſitifolii, axillares & terminales, umbelliferi, erecti, a duabus ad quatuor uncias longi, hirſuti.

ſuti. Involucri foliola plus minus quatuor, lanceolata, acuminata, ſtriata, ciliata, hirſutula. Pedicelli ab unico ad quinque, fere ad baſin usque cuniculati, hirtuli, ſemunciales. Calycis pentaphylli foliola oblongo-lanceolata, acuminata, ſtriata, patula, hirtula. Petala quatuor, rarius quinque, cæterum omni nota ſimillima Pelargonio lacero. Sic etiam genitalia ſimilia, ſed filamenta antherifera perpetuo ſeptem.

## DCXLI.

## PELARGONIUM MULTICAULE.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Aprili & ſequentibus, totum inodorum. Radix calamum & ultra craſſa, tres plus minus uncias longa, teres, ramis aucta, pallida. Caules numeroſi, toti quanti procumbentes, tantum in extrema parte rigide ſurſum arcuati & adſcendentes, ramoſi, teretes, glabri, verſus ſummitatem ad lentem villoſuli, nodoſi, ad nodos ſanguinei, inferne ex purpureo fuſci, cæterum vireſcentes cum ſuffuſa hic illic purpura, herbacei, bipedales, pennam columbinam craſſi, biennes. Folia alterna, ſuperiora oppoſita, una cum petiolis duas tresve uncias longa, triloba, inciſa, obtuſa, glabra, virentia; lobis lateralibus breviſſime petiolatis, ſubovatis, & in majoribus trilobatis; lobo medio elongato & pinnatifido. Stipulæ ovatæ, acuminatæ, glabræ, ſanguineæ. Pedunculi communes, teretes, ad lentem villoſuli, terminales & axillares, erecti, rigidi, fere craſſitie caulis, virides, plus minus biunciales, umbella ſubquinqueflora terminati. Involucri foliola fere quina, ovata, acuta, concava, pallide virentia cum ſtriis ſanguineis, patentiſſima. Pedicelli ad duas

tertias.

tertias partes cuniculati, villoſi, vix involucro longiores, erectiuſculi, atroſanguinei. Calycis pentaphylli foliola oblonga, mucronata, ſtriata, patula, ſanguinea, ſummo duplo latiori. Petala quatuor, patentia, ſaturate purpurea cum faſciis ſupra unguem atropurpureis; quorum duo ſuperiora ſpathulata, ſubemarginata, fere duplo longiora calyce; duo inferiora obtuſa, plus quam duplo anguſtiora multoque breviora. Filamenta decem, baſi connata, ſubulata, calyce breviora, purpuraſcentia; ſeptem fertilia. Antheræ oblongæ, erectæ, carneæ cum polline flavo. Germen villoſum. Stigma quinquefidum, purpureum. Fructus hirſutus. Semina villoſa cum ariſta plumoſa & unciali.

## DCXLII.

PELARGONIUM BETONICUM.

Geranium betonicum. *Cavanill. diſſ. pag.* 264. *num.* 391. *tab.* 118. *fig.* 1 ?

Geranium africanum folio betonicæ. *Riv. pentap. irreg.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos æſtate; parum odoratum, totumque una cum calycibus & fructibus hirtulum. Radix fuſca, teres, calamum craſſa, biennis. Caules plures, procumbentes vel adſcendentes, ramoſi, herbacei, teretes, tandem ſesquipedales. Folia ſunt oblonga, obtuſa, pinnatifide lobata, crenata, rigidula, longe petiolata, atrovirentia cum diſco ſæpe fuſceſcente, alterna, ſumma nonnunquam oppoſita. Stipulæ ovatæ, acutæ. Pedunculi communes axillares & oppoſitifolii, plerumque biflori, rarius uniflori vel triflori, duas tresve uncias longi, in flore erecti, in fructu patentiſſimi.

tiſſimi. Involucri foliola pauca, lanceolata, acuta. Pedicelli ſemunciales, fere ad baſin usque cuniculati. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuta, ſtriata; ſummo duplo latiori. Petala quatuor, rariſſime quinqne, cuneiformia, obtuſa, patula, carnea aut albida, calyce duplo longiora; ſumma duo lineis ramoſis rubris percurſa & multo majora. Filamenta decem, baſi coalita, quinque alterna fertilia. Antheræ oblongæ, rubræ. Stigma quinquefidum, ſanguineum. Seminis ariſta plumoſa, biuncialis.

Rivini ſynonymum citatum huc reduco, cum flores umbellatos ternos tetrapetalos delineet, & foliorum figura conveniat. Synonymum Cavaniſleſii magis mihi dubium videtur ob pedicellos quaternos, quos in meo nunquam obſervavi. Hermanni Geranium betonicæ folio hort. tab. 281. non auſim aſſumere, quantumvis figura foliorum in meum quadret, nam ille umbellas quinquefloras exhibet, & flores aſſerit eſſe pentapetalos. Geranium betonicum Bergii flor. cap. pag. 179. eſſe noſtrum nequit; ſuo enim autor adſcribit petala quinque, & hæc baſi cærulea & ſuperne dilutiora, tum filamenta ſeptem fertilia & radicem perennem. Geranium myrrhidis folio Breynii cent. tab. 59. ob delineata & deſcripta petala quinque vix admitti poteſt. Et Bergius flor. cap. pag. 180. Geranium diſſectum ſuum cum Breyniano illo conjungit, idemque præterea exiſtimat cum Geranio anemones folio tuberoſo Hermanni parad. pag. 178; ubi a meo evidentius diſcrepat radice tuberoſa. Nec huc facit Geranium africanum folio anemones Rivini; quod quam maxime accedit ad Pelargonium meum anemonæfolium, ſic foliis ſuperioribus bipinnatifidis ludere ſolitum. Linnæus in Mantiſſa pag. 433. tribuit Geranio myrrhifolio ſuo contra Bergium petala

quatuor

quatuor & filamenta alterna quinque antherifera. An forte de meo betonico loquitur? Cæterum Pelargonia hæc difficillime ab invicem diſtinguuntur, & ſiccata ægre poſſunt determinari. Petalorum autem antherarumque numerum inveni conſtantiſſimum, quibus ceu fundamento innititur diſtinctio, uti tabula ſubjecta docebit.

| | | | |
|---|---|---|---|
| P. bullatum | petal. 4. | anther. 5. | |
| betonicum | 4. 5. | 5. | |
| lacerum | 5. | 5. | |
| longicaule | 4. 5. | 7. | caule piloſo. |
| multicaule | 4. | 7. | glabro. |
| anemonæfolium | 5. | 7. | |

## DCXLIII.

### PELARGONIUM VIOLAREUM.

Ex Promontorio bonæ Spei; florens apud nos Julio & Auguſto; tritum odoris pauci & ingrati; totum una cum calycibus molliter villoſum & caneſcens. Radix ramoſa, calamum & ultra craſſa, duas tresve uncias longa, fuſceſcens. Caulis ſuffruticoſus, biennis, in ramos diffuſus, debilis, ſemipedalis vel paulo altior, teres, fuſcus, vix calamum craſſus. Folia ſunt alterna, ſumma oppoſita, lanceolata vel oblonga, obtuſula, ſerrato-inciſa, venoſa, villis albidis ciliata, plus minus ſescuncialia cum petiolis duas tresve uncias longis; dentibus omnibus apice ad lentem callo ferrugineo inſtructis. Stipulæ lanceolatæ, acuminatæ, ciliatæ. Pedunculi communes oppoſitifolii & axillares, unciales, biflori vel triflori. Involucri foliola fere quinque, ſtipulis

ſimilia. Pedicelli breviſſime cuniculati, pedunculis paulo breviores. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, patenti-reflexa, intus ad baſin purpuraſcentia; ſummo paulo latiori. Petala quinque, obverſe ovata, rotundata, ſubæqualia, plana, tota patentiſſima ad unguem usque, calyce longiora; duo ſuperiora caſtaneo-rubra; ſupra unguem verrucoſa & nigricantia; tria inferiora tota nivea. Filamenta decem, baſi leviſſime coalita; quinque alterna fertilia, ſubulata, petalis duplo breviora, patentiſſima, rubra; quinque reliqua tantum ſquamas ovato-acutas breviſſimasque formant. Nonnunquam filamenta ſola quatuor fertilia ſunt, atque tunc infimum filamentum etiam ſolam ſquamam refert, ut tres ſquamæ infimæ tunc unam ſeriem contiguam faciant. Antheræ oblongæ, violaceæ cum polline ſanguineo. Glandulæ ad filamentorum baſes nullæ. Germen ovatum, quinquefulcatum, villis niveis lanatum. Stigma quinquefidum, ſanguineum. Flos primo adſpectu violam mentitur.

## DCXLIV.

## PELARGONIUM CHAMAEDRYFOLIUM.

Ad Promontorium bonæ Spei ſponte creſcit; florens & fructeſcens apud nos æſtate; totum villoſum, & tritum fœtidulum. Radix ramoſa, annua. Caules plures, ramoſi, diffuſi, a ſex ad decem uncias longi, baſi pennam columbinam craſſi, teretes, geniculati, nodoſuli, in primariis diviſionibus dichotomi, procumbentes, ſordide magis minusve purpuraſcentes. Folia petiolata, oppoſita, oblonga, obtuſa, inæqualiter ſerrata, integra, craſſula, venoſula, ex incano virentia,

rentia, longiora vix uncialia, pleraque duplo breviora. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, parvæ, brevi emarcidæ. Pedunculi axillares, alterni, foliis longiores, biflori aut uniflori. Involucri foliola plus minus quatuor, lanceolata, acuta, minuta. Pedicelli ſuperne breviter cuniculati. Flores minimi. Calycis pentaphylli virentis & hirtuli foliola lanceolata, in ſetulam acuminata, erecta, ſummo paule latiori. Petala quinque, longitudine calycis, cuneiformia, obtuſa, erecta, ſuperne patula, alba cum diſco medio atropurpureo, quorum duo ſuperiora duplo latiora. Filamenta decem, baſi connata, alba, quinque alterna fertilia, reliqua ſterilia. Antheræ flavæ. Germen hirſutum. Stigma quinquefidum, purpureum, villoſulum. Semen hirſutum cum acu unciali barbata.

## DCXLV.

### PELARGONIUM TRICHOSTEMON.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Martio & ſequentibus. Odor nullus. Radix ramoſa, biennis. Caulis ſupra ipſam terram jam ramoſus, ut multicaule videatur, calamum craſſus, teres, erectiusculus, pedalis, junior una cum ramis molliſſimus & holoſericeus, cujusmodi etiam ſunt folia, ſtipulæ, petioli, pedunculi, involucra & calyces. Folia ſunt ſparſa, ovata, obtuſa, obtuſe ſerrata, nervoſula, venoſa, plana, ad ſerraturas tamen ſæpe parumper undulata, craſſula, utrinque ſubincana, unciam vel ſescunciam longa, petiolo inſidentia tereti & a tribus ad ſex uncias longo, ſumma duo ad petiolos oppoſita. Stipulæ utrinque ad petiolos ovato-acuminatæ, in-

tegerrimæ, erectæ, adpreſſæ, ſæpe ſordide purpuraſcentes, inferne in ramis imbricatæ. Pedunculi communes erecti, plus minus triunciales, umbelliferi. Involucri foliola pauca, ovata, acuta, parva. Pedicelli ab unico ad tres, erecti, ſeſcunciales, ſuperne omnium breviſſime cuniculati. Calycis pentaphylli foliola ovata, obtuſula, concava, triſtriata, ad apices barbatula, patula, pallide virentia, tria duplo latiora duobus reliquis. Petala quinque, obtuſiſſima, uniformiter rubropurpurea, ſupra ungues patentiſſima; ſumma duo ampliſſima & ſubrotunda, reliqua oblonga. Filamenta decem, fere ad medietatem usque in unum corpus coalita, foris pilis capitatis denſiſſime villoſum; quorum alterna quinque ſubulata, alba, & parumper capitate villoſa antheras gerunt haſtatas & luteas. Ex quinque ſterilibus tria inferiora ſunt breviſſima; duo ſuperiora autem æquant longitudine fertilia, ſuntque ſimpliciter piloſa & ad apicem purpurea. Germen eſt hirſutum. Stigma coccineum.

## DCXLVI.

## PELARGONIUM CORONOPIFOLIUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Junio & Julio. Radix ramoſa, calamum craſſa, fuſca, longa. Caules pauci, procumbentes, ſemipedales, teretes, perennes, calamo duplo graciliores, foliorum præteritorum ſtipulis imbricatis perſiſtentibus fuſciſque veſtiti. Folia lanceolato-linearia, acuta, ſimplicia, ſuperne dentato-ſerrata, cæterum integerrima, craſſula, ſæpius ſubcarinata, baſi in petiolum anguſtata, facie glabriuſcula, ſubtus ad lentem una cum petio-

lis

lis hirtula, longiora ſemipedalia, patula, in caulibus denſe imbricata, in ramis florigeris & erectis diſtantia alterna cum ſummis oppoſitis. Stipulæ lanceolatæ, acuminatæ, erectæ, integerrimæ, ad lentem ciliatulæ & ſericeæ, petiolis adnatæ. Pedunculi oppoſitifolii & axillares, alterni, erecti, villoſi, molles, triunciales, infimi umbellati biflori, reliqui triflori. Involucri foliola fere quinque, lanceolata, acuta, ciliata, una cum pedicellis & calyce tantisper hirtula. Pedicelli ante floreſcentiam nutantes; dein erecti, biunciales, & ſuperne breviter cuniculati. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuta, reflexo-patentiſſima, ſummo paulo latiore. Petala quinque, obtuſa, patentiſſima, ad unguem alba, cæterum uniformiter laccati coloris; ſumma duo latiſſima, obverſe ovata cum ungue utrinque ad latus producto & cuneiformi; tria inferiora ex anguſto ungue oblonga. Filamenta decem, baſi connata, declinata, ſubulata; quorum quinque alterna longiora, antherifera, quatuor alba, ſummum purpureum. Antheræ oblongæ, ex fulvo rubræ. Germen & ſtylus ſunt hirſuta. Stigma glabrum & purpureum. Odor paucus, ingratus.

Datur varietas, in qua flores ſunt minores, cum petalorum duorum ſuperiorum ungue albo coronatoque faſcia ſaturate rubra; & folia ſunt omnia lineari-lanceolata, fereque per totam longitudinem inciſo-ſerrata.

DCXLVII.

## DCXLVII.

PELARGONIUM CORTUSAEFOLIUM. *Ait. hort. kew. vol. 2. pag.* 428.
Geranium tabulare. *Burm. germ. pag.* 36. *num.* 44. *tab.* 1. *Cavanill. diſſ. pag.* 232. *num.* 328. *tab.* 100. *fig.* 2.
Geranium africanum, folio anguloſo, circulo nigro notato. *Herm. afr. pag.* 11.
Geranium africanum floribus rubellis, foliis glabris, cordiformibus, ſerratis, circulo purpureo inſcriptis. *Raj. hiſt. vol.* 3. *pag.* 514.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens æſtate; tritum parum nec grate odoratum; totum glaberrimum, exceptis petiolis ad lentem parciſſime hirtulis. Caulis fruticoſus, lignoſus, ramoſus, erectiusculus, teres, digitum craſſus, tripedalis & ultra, fuſcus. Folia alterna, ſparſa, ramea ad pedunculos ſæpius oppoſita, ſubrotundo-cordata, acuta, plus minusve quinqueloba vel ſeptemloba, acute inciſo-crenata, plana, ſubtus glauca; ſupra ex glauco virentia idque cum zona in disco fuſca, vel ſine eadem, ſoli diutius expoſita ſæpe tota ſanguineo-livida; ad oras ſanguinea, petiolo ſuffulta longo & quandoque ſemipedali. Stipulæ ovatæ, acutæ, integerrimæ, glaucæ cum apice ſanguineo. Pedunculi communes axillares, alterni, erecti, firmi, teretes, quatuor vel quinque uncias longi, umbella ut plurimum quadriflora terminati. Involucri foliola quatuor vel quinque, lanceolata, acuta, integerrima, erecta. Pedicelli biunciales, teretes; ſuperne cuniculati, geniculati & exasperatuli. Flores ſpecioſi. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, mucronata, ad lentem villis ciliata, virentia;

tia ; quatuor inferiora patula, ſummum duplo latius & erectum. Petala ſumma duo magna, late cuneiformia, purpurea cum ſtriis pluribus ramoſis ex baſi aſſurgentibus atropurpureis & ſupra has concolore faſcia transverſa; tria inferiora lineari-lanceolata, obtuſa, carnea, patentiſſima, calyce duplo longiora. Filamenta decem, baſi coalita, ſubulata, purpuraſcentia, declinata, tria ſterilia breviſſima, ſeptem antherifera. Antheræ rubro-carneæ. Germen ſubrotundum, hirſutum. Stylus declinatus. Stigma quinquefidum, purpureum.

## DCXLVIII.

### PELARGONIUM TERNATUM.

Geranium ternatum. *Linn. ſyſt.* 619. *Linn. ſuppl. pag.* 306. *Cavanill. diſſ. pag.* 255. *num.* 372. *tab.* 107. *fig.* 2.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret æſtate. Frutex quatuor pedes & ultra altus, lignoſus, a baſi ad apicem usque ramoſus, hirtus, ferrugineus cum fiſſuris in cuticula longis & magis cineraſcentibus. Tales etiam rami ſeniores. Juniores virides. Stipulæ ovatæ, acuminatæ, villoſæ, integerrimæ vel unica ſerratura inciſæ, erectæ, virides, a duabus ad quatuor. Folia ſunt ternata, alterna, ad flores tamen oppoſita, petiolata, ſcabra, ſubcucullata, craſſula, rigidula, erectiuscula; foliolis late cuneiformibus, nervoſis, ſubplicatis, margine ſuperiore acute crenatis cum apicibus ſanguineis, cæterum viridibus, ſenio ſæpe ſanguineo-maculatis, quandoque una alterave crena profundius inciſa ſublobatis, facie ad lentem punctatis, ſubtus hirtis & ſcabris, ad oras aculeato-ciliatis; petiolis hirtis, foliorum

longi-

longitudine, plus minus uncialibus. Pedunculi axillares, ſoltarii, alterni, unciales, erecti, hirtuli, teretes, in noſtris individuis ſemper uniflori, quantumvis terminentur involucri tetraphylli foliolis lanceolatis acuminatis purpureis hirtulisque, ex quorum centro pedicellus egreditur hirtulus compreſſulus erectus uncialis inferne geniculatus & hinc craſſior ad florem usque cuniculatus. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, ſtriata, hirtula, ciliata, patentiſſima, ſubtus magis minusve purpurea; ſummum latius magisque erectum. Petala quinque, cuneiformia, pallide roſea, obtuſiſſima, patentia, calyce ſere duplo longiora; ſumma duo duplo latiora tribus reliquis & ad baſin picta venis ſaturate purpureis. Filamenta decem, ſubulata, purpuraſcentia, baſi in unum corpus coalita, ſola quinque antheras gerentia oblongas & ſanguineas. Germen ovatum, ſericeo-villoſum. Stylus & ſtigma quintuplex ſupra villoſulum ſanguinea. Seminis roſtrum unciale. Odor plantæ vix ullus. Foliola in quibusdam individuis ſunt omnia patentiſſima.

## DCXLIX.

## PELARGONIUM BALSAMEUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret æſtate. Odor toti plantæ balſamicus & gratus eſt, multum appropinquans ad gemmas Populi balſamiferæ. Frutex erectus, tripedalis, lignoſus, ramoſiſſimus ex toto caule ferrugineo, juniori rubente, tereti, aſperiusculo & ad lentem hirtulo, ad baſin digitum craſſo. Folia alterna, ſumma oppoſita, approximata, hinc numeroſa, rigida, hirta, petiolata, profunde quinque-

quinquepartita, virentia; lobis anguſte lanceolatis, acutis, craſſulis, pinnatifide & acute inciſis, parumper conniventibus ſive ſubcucullatis, plus minus ſescuncialibus. Stipulæ geminæ vel ternæ, lanceolatæ, acuminatæ, hirtulæ, patentiſſimæ, fuſceſcentes. Pedunculi axillares, teretes, hirtuli, ab uno ad tres flores umbellatim ſuſtinentes. Involucri foliola pauca, lanceolata, acuta, villoſa, patentiſſima, ſtipulis concoloria. Pedicelli ſemunciales, hirtuli, ſuperne geniculati & hinc breviſſime cuniculati. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, villoſa, patentia. Petala quinque, carnea, patentiſſima; ſuperiora duo obverſe ovata, emarginata vel integerrima, duplo latiora; inferiora tria oblonga, anguſta, obtuſa, integerrima. Filamenta decem, ſeptem antherifera. Antheræ oblongæ, flavæ. Germen ovatum, hirſutum. Stylus albus. Stigma quintuplex, ſanguineum.

## DCL.

### PELARGONIUM HERMANNIAEFOLIUM.

Geranium hermanniæfolium. *Linn. ſyſt. pag.* 613. *Linn. mant. pag.* 569. *Berg. cap. pag.* 177.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens & fructeſcens æſtate. A Pelargonio criſpo facile diſtinguitur odore nullo & triti tantum ſubterebinthinaceo, foliis majoribus, ſemper dumtaxat breviſſime petiolatis, vere cuneiformibus, vix obſolete trilobatis, vix criſpis; ſtatura totius longe majore. Frutex quatuor vel quinque pedes altus, erectiusculus, caule pollicem craſſo ramisque virgatis teretibus & ferrugineis. Hi, folia, ſtipulæ, pedunculi, involucra calycesque

que breviſſime & cum aſperitate hirta ſunt. Folia totos longos ramos denſe obſident eleganti ſpectaculo diſticha, ſæpius vere biſaria, ſuperiora conniventia, inferiora expanſa, patentia, alterna, rigida, craſſula, breviſſime petiolata, ſubtrinervia ; ex integerrima cuneiformi baſi lateſcentia ſuperne in ambitum rotundatum, inciſo-dentatum, aculeato-ciliatum ; longiora vix uncialia. In horum axillis foliola conſpiciuntur minima duo aut pluscula, e quorum medio ſæpe novus ramus egreditur. Stipulæ geminæ, cordatæ, acuminatæ, parvæ, ciliatæ. Pedunculi terminales, ſolitarii, biflori, breves, erecti. Involucri foliola quinque, lanceolata, acuta, erectiuscula, virentia. Pedicelli vix unciales, erecti, longe cuniculati, hic craſſiores & purpuraſcentes. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, virentia ; quorum quatuor reflexa ; quintum ſuperius erectum & latius. Petala quinque, alba aut ſubcarnea, calyce duplo longiora ; ſumma duo ſpathulata, apice rotundata, erecta, ad baſin duabus lineis parallelis picta ; tria inferiora lineari-oblonga, antrorſum reflexa, triplo anguſtiora. Filamenta decem, baſi coalita, carnea, petalis ad unam tertiam breviora ; quorum tria ſterilia ſunt, ſeptem gerunt antheras oblongas & miniato-rubras. Germen ſericeum. Stylus ſanguineus, hirſutus. Stigma quinqueſidum, ſanguineum. Semen baſi acuminatum, ſericeum cum acu barbata. Odor tritæ plantæ paucus. Dum flores in fructum abeunt, aut ad alterutrum aut ad utrumque pedunculi latus ex rami extremitate exoriuntur ramuli novelli, unde pedunculus fructeſcens eſſe terminalis deſinit.

DCLI

## DCLI.

PELARGONIUM TRICUSPIDATUM. *Ait. kew. vol. 2. pag. 430.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens Majo & ſequentibus; fere inodorum, ſaporis acidi. Radix ramoſa. Caulis fruticoſus, bipedalis & ultra, ramoſiſſimus, glaber, teres, calamum vel digitum minimum craſſus, erectiuſculus, ſenior fuſceſcens, junior una cum ramis magis minusve ſanguineus. Folia alterna, pauca ſuperiora oppoſita, petiolata, triloba vel tripartita, vel rarius vere ternata, rigidula, venoſa, facie glabra, ſubtus ad nervum medium venasque principes muricata, una cum petiolis triuncialia; lobis lanceolatis, acutis, minutiſſime ſerrulatis, inciſis; medio longiore. Vel lobis integerrimis, nec ſerrulatis. Summa plerumque folia ſunt integra, lanceolata, ſubtus glaberrima, nec ſerrata, nec inciſa; vel in uno aut in utroque latere, loco lobi, dumtaxat unidentata, cæterum ſic tamen varia, ut ſolis ex foliis inferioribus peti deſinitio ſpecifica poſſit. Petioli teretes, foliorum longitudine, ut plurimum glabri, rarius aſperi. Stipulæ lanceolatæ, acuminatæ, glabræ, erectæ, primo virides, dein rubentes. Pedunculi oppoſitifolii, glabri, graciles, patuli, fere longitudine foliorum, apud nos plerumque uniflori, rarius biflori. Involucri foliola duo, ovato-ariſtata, erecta, viridia. Pedicelli ſemuncia-les, fere ad baſin usque cuniculati, glabri, ſubrubentes. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, quatuor reflexa & viridia cum oris albidis; ſummum latius, concavum, erectum & rubrum. Petala quinque, cuneiformia, rotundata, ex carneo albida, ſuperne reflexo-patentiſſima, ſupra ungues inſignita macula oblonga rubra, in duobus

 ſupe-

ſuperioribus latiore & ramoſa. Filamenta decem, baſi coalita, ſeptem fertilia. Antheræ roſeæ. Stigma quinquefidum, rubrum. Seminum acus plumoſa.

## DCLII.

## PELARGONIUM TOMENTOSUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Aprili & ſequentibus. Totum villis denſiſſimis mollibusque tegitur, odore pollens forti nec grato Radix ramoſa. Caulis fruticoſus, carnoſus, ramoſus, erectus, pollicem craſſus, teres, nodoſus, bipedalis & ultra Folia alterna, cordata, triloba aut ſubquinqueloba, obtuſula, venoſa, craſſula, molliſſima, ſerrulata, tres quatuorve uncias longa, totidemque lata; petiolis ejusdem longitudinis vel longioribus, teretibus, pennam columbinam craſſis & patentibus. Stipulæ ex latiore baſi lanceolato-acuminatæ, brevi areſcentes & ferrugineæ. Pedunculi communes terminales, ſolitarii vel bini aut terni, plus minus triunciales, pennam columbinam craſſi aut duplo graciliores, erectiusculi vel patuli, in umbellam ſimplicem aut compoſitam terminati. Involucri foliola ad umbellam compoſitam plura, ad ſimplicem & particulares plerumque ſena, lanceolata, acuta, patentiſſima, virentia. Pedunculi umbellarum particularium plus minus biunciales. Pedicelli plus minus ſeni, unciales, omnium breviſſime cuniculati, virides, ſuperne ſordide purpuraſcentes. Calycis pentaphylli foliola quinque, lanceolata, acuta, ſubtus & ad oras hirſuta, ſtriatula, patentiſſima; ſummo duplo latiori. Petala quinque, oblonga, obtuſa, calyce paulo longiora, alba cum faſciola

ad

ad unguem longitudinali rubra ; ſumma duo patentiſſima & triplo latiora tribus inferioribus deorſum porrectis. Filamenta decem, baſi connata, declinata, ſanguinea, longitudine calycis, ſeptem fertilia. Antheræ oblongæ , carneæ. Germen hirſutum. Stigma quinquefidum, ſanguineum.

## DCLIII.

## PELARGONIUM RIBIFOLIUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret a Junio ad Auguſtum ; totum graveolens. Radix ramoſa. Caulis carnoſus, fruticoſus, digitum craſſus , teres , cicatricibus protuberantibus inæqualis, erectus, firmus, ramoſus, tripedalis , ſenior glaber & fuſcus ; junior hirſutus. Rami hirſuti, pallide virentes. Folia ſparſa, baſi cordata, triloba, hirſutula, aſperula, ſubtus rugoſa, rigidula, ſumma oppoſita; lobis lobato-inciſis, acutulis, ſerratis ; petiolis teretibus, hirſutis, folio plerumque longioribus. Stipulæ ex baſi lata & ſubcordata acuminatæ vel cuspidatæ, hirſutæ, ciliatæ , patentiſſimæ. Pedunculi communes oppoſitifolii & axillares, hirſuti, unam alteramve unciam longi , patentes. Umbella a quinque ad decem flores ſuſtinens, depreſſa, dimidiata ſive pedicellos in exteriorem arcum omnes flexos habens. Involucri foliola quinque vel plura, lanceolata, acuminata, hirſuta, ciliata, patentiſſima, viridia. Pedicelli ad ſummum unciales, ad medietatem cuniculati & geniculati, hirſuti, patentiſſimi , virides. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuta, ſemirevoluta, hirſuta, virentia; ſummo duplo latiori & inferne longius erecto. Petala quinque, obtu-

ſa,

ſa, nivea ſine omni macula; ſuperiora longiora, triplo latiora, cuneiformia, emarginata, ſemireflexa; tria inferiora ſublinearia, integerrima, antrorſum porrecta. Filamenta decem, baſi coalita, ſubulata, erecta, alba, ſeptem fertilia. Antheræ oblongæ, incumbentes, aurantiacæ. Stigma quinqueſidum purpuraſcit. Fructus hirſutus Seminum ariſta plumoſa.

## DCLIV.

PELARGONIUM CORIANDRIFOLIUM. *Ait. hort. kew. vol.* 2. *pag.* 421.

Geranium coriandrifolium. *Linn. ſyſt. pag.* 615. *Linn. mant. pag.* 433. *Cavanill. diſſ. pag.* 263. *num.* 390. *tab.* 116. *fig.* 1. *Rivin. pent. tab.* 106.

Geranium africanum, coriandri folio, floribus incarnatis, minus. *Herm. lugd. pag.* 279. *tab.* 280.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Radix ramoſa, ſæpe biennis. Caulis teres, ſubherbaceus, ab ipſa baſi ramoſus, ut planta videatur multicaulis, tandem pedalis, geniculatus, ſubnodoſus, rubeſcens, aſperiusculus, ad lentem hirtulus, una cum ramis patens. Folia inferiora & ſuperiora ſunt oppoſita, intermedia alterna, infima approximata, petiolata, utrinque & ad oras glabra cum petiolo ad lentem hirtello. Caulina infima duas tresve uncias longa cum petiolo ejusdem longitudinis & atropurpuraſcente, ſupra ſaturate viridia cum diſco livido, bipinnatifida cum pinnis pinnulisque confluentibus; lobulis oblongis & acutulis. Reliqua lætius virentia, minora, ſquarroſula, &

bipin-

bipinnata; pinnulis linearibus, anguſtis & acutulis. Stipulæ cordatæ, acutæ, ſubintegerrimæ, glabriuſculæ. Pedunculi communes axillares & oppoſitifolii, patuli, ſcabri, hirtuli, plus minus biunciales, in fructu longiores & patentiſſimi vel reflexi. Flores a duobus ad quinque, umbellati. Pedicelli breves, fere ad baſin usque cuniculati, hirti, erecti. Involucri foliola fere quinque, ovata, acuta, ſubglabra, reflexa. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuminata, ſtriata, hirta, patula; ſummo latiori & erecto. Petala quatuor vel quinque, obtuſa, calyce duplo longiora, patula, pallide carnea; ſumma duo quadruplo latiora reliquis & inferne duabus lineis ramoſis ſanguineis percurſa; inferiora cuneiformia. Filamenta decem, baſi connata, alba, quinque alterna antherifera. Antheræ oblongæ, rubræ. Stigma quintuplex, ſanguineum. Fructus hirſutus, biuncialis. Semina utrinque acuminata, villoſa, cum acu plumoſa. Totum graveolens eſt, atque imprimis calyx.

## DCLV.

## PELARGONIUM DAUCOIDES.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Junio & Julio. Radix conſtat ex tuberibus oblongis, digitum minimum fere craſſis, in fibram terminatis, fuſceſcentibus, fasciculatis, ſimplicibus & proliferis. Caules breviſſimi, ſuffruticoſi, ſtipulati, vix calamum craſſi, denſe & approximate folioſi. Stipulæ cordatæ, acutæ, villoſæ, ciliatæ, patentes, virides. Folia tripinnata, ſemipedalia, decumbentia, tota hirſuta; pinnulis lanceolato-linearibus, acutis, confluentibus. Folia & odorem & figuram foliorum Dauci habent. Scapus

ſive

ſive pedunculus terminalis, debilis, erectiusculus, inferne magis adſcendens, pedalis, hirſutus, teres, ſimpliciſſimus, nec uti in Pelargonio triſti bifidus, umbella unica erecta terminatus, aphyllus. Involucri foliola plus minus decem, lanceolata, acuta, hirta, patula. Pedicelli plus minus ſeptem, unciales, ſubangulati, hirti, ad baſin fere usque cuniculati, fere ſescunciales. Flores interdiu inodori, veſpera & noctu odorem Hyacinthi gratiſſimum ſpirant. Calycis pentaphylli foliola ſunt lanceolata, acuta, hirta, omnia reflexa. Petala quinqne, obverſe ovata, obtuſa, calyce duplo longiora, ex ungue anguſto orta, omnia ex ſulphureo pallida cum ſuffuſa obſoleta purpura, in medio duabus ſtriis rubris inſignita, iisque tria inferiora multo ſaturatioribus; duo ſuperiora duplo latiora, reflexo-patentiſſima; tria inferiora reflexo-pendula. Filamenta decem, alba, baſi connata; quorum ſeptem antherifera. Germen oblongum, hirſutum. Stylus & ſtigma quinquefidum ſunt ſulphurea.

## DCLVI.

### PELARGONIUM HIRTUM.

Geranium hirtum. *Burm. ger pag.* 48. *tab.* 1. *Cavan. diſſ. pag.* 258. *num.* 379. *tab.* 117. *fig.* 1.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Martio & Aprili. Odor paucus, ingratus. Radix teres, digitum minimum craſſus, ſemipedalis. Caulis procumbens, tortuoſus, fruticoſus, ramoſus, digitum minimum craſſus, fuſcus, cicatricibus foliorum præteritorum induratis exaſperatus, junior carnoſus & hirſutus. Tales etiam rami,

florentes

florentes aphylli & adſcendentes, ad ſummitatem folia pedunculos communes novumque ſimilem ramum ſucceſſive ſubumbellatim proferentes. Folia ſunt approximata, tota hirſuta, longius petiolata, tripinnata; pinnis oppoſitis; pinnulis linearibus, acutis, integerrimis, ſeſſilibus; circumſcriptione oblonga & convexa. Stipula petiolo utrinque adnata lanceolata & acuta. Pedunculi communes hirſuti, aſperiusculi, patuli, tres quatuorve uncias longi, a tribus ad quinque flores umbellatim ſuſtinentes. Involucri foliola fere quinque, lanceolata, acuminata, ciliata, patentia, viridia. Pedicelli breves, hirſuti, ad medietatem usque cuniculati. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, acuta, hirſuta, patentia; ſummo duplo latiori. Petala quinque, ſpathulata, obtuſa, patula, ex purpureo rubra; ſumma duo fere duplo latiora & ſaturatius colorata. Filamenta decem, baſi connata, alba; tria ſterilia; ſeptem gerentia antheras carneas cum polline flavo. Germen hirſutum. Stigma quinquefidum, ſanguineum.

## DCLVII.

## PELARGONIUM CAUCALIFOLIUM.

